

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE

BAPTISMUS
SVPER MORTUOS
EX I. CORINTH.

Oder:
Von der Taufe über

QVAM
DIVINA ADSPIRANT
PRAESIDIUM
DN. SEBASTIANO
SS. THEOL. D. ET PROF. PVBLIC.
SOLENNI EXAMINI
IO. GEORGIUS HEINRICH
ROTENBURGO - TVBINGEN



IENAE, REC. LITTERIS IOHANNIS
A. O. B. M. DCC. X.

THEOLOGICA,
DE
NISMO
MORTVIS,
INTH. XV, 29.


Oder:
über denen Todten.


QVAM
IRANTE GRATIA,
ESIDE
ANO SCHMIDIO,
OF. PVBL. CELEBERRIMO,
AMINI SVBIICIT
HERRENBAVER,
GO - TVBARINVS.



25.

ERIS IO. FRID. RITTERI,
M. DCC XXXVII.





DISPUTATIO THEOLOGICA,
DE
BAPTISMO SUPER MORTUIS,
EX I. CORINTH. XV, 29.

PROOEMIUM,

§. I.

LEgimus de βαπτισμῶ ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, *Baptismo super mortuis* 1. Corinth. XV, 29. qui Commentatoribus multum omni tempore facessivit laboris. Nihilominus, quæ solet esse hominum fraudulentorum sive astutia sive audacia, apprehensus est, ad probandum nova dogmata vel innovata, de orationibus, elemosynis, jejuniis pro defunctis, ipsoque purgatorio: ut dum obscuri loci falsam interpretationem negaveris, certam autem non protuleris, ipsi non refutati esse satis videantur. Non interim pudet eos fateri, locum valde obscurum & incertæ interpretationis esse. *Justinianus* enim Jesuita, Comment. in 1. Cor. XV, 29. de isto Baptismo dicit: *Aliam affert Paulus rationem ad probandam resurrectionem mortuorum. Quam autem & quantam vim habeat non satis constat, sive quia ipsa verba per se sunt valde obscura, sive quia in eorum verborum explicatione incredibile est sententiarum varietas.* Estius Comment. in eund. loc. *Quid sit, inquit, baptizari pro mortuis obscurum est, & ab Autoribus varie exponitur.* Sed & alii

multi de difficultate loci queruntur. Interim non indignus erit, cujus sensus diligenter inquiratur: quod dum hac disputatione conaturi sumus, adsit nobis divini Spiritus illuminans gratia! Amen!

MEMBRVM PRIMVM,
IN QVO VARIAE DE BAPTISMO SVPER MORTVIS
PROPONVNTVR SENTENTIAE.

§. II.

QVanta sit sententiarum, de *Baptismo super mortuis* apud S. Paulum, varietas, supra jam indicatum est: quam ideo huic membro primo destinavimus proponendam. Vbi vero ante omnia observandum est, quod verba D. Pauli diversimode transferant, atque juxta diversitatem translationis sententiæ quoque ipsis nascantur discrepantes. Apostoli textus Græcus sic habet: *ἐπει τί ποιήσασιν οἱ βαπτίζομενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, εἰ ὅλως οἱ νεκροὶ ἐκ ἐγείρονται; τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ τῶν νεκρῶν.*

Vulgatus Interpres ita vertit: *Alioqui quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnia mortui non resurgent? ut quid & baptizantur pro illis.* Hic interpres τὸ ὑπὲρ per pro vertit, & pro νεκρῶν posteriore loco posito, sumit relativum illis, respiciens ad νεκρῶν, quod priore loco præcesserat. In eo, quod τὸ ὑπὲρ per pro vertit, habet plurimòs consentientes, etiam *Calvinum*.

Alia vero idem ὑπὲρ transferunt, *Super*, cum Ablativo casu, hoc modo: *Alioqui quid facient, qui baptizantur super mortuis, si omnino mortui non resurgent? Vt quid & baptizantur super mortuis.*

Bezæ simul (ut *Chamier* versionem ejus accipit *Panft.*

Panft. tom. I. 26. c. 19. n. 35.) τὸ βαπτίζομενον & βαπτίζονται sunt Formæ mediæ & significationis activæ: Vertit itaque: *Alioqui quid facient, qui ablutione utuntur super mortuis? si omnino mortui non suscitantur, cur ablutione utuntur super mortuis?*

At Bullingerus neutraliter accipi, prætereaque τὸ ὑπὲρ cum Genitivo pro Accusativo construi, adeoque locum sic verti posse existimat: *si omnino non resurgunt mortui, quid baptizant super mortuos?* vid. Commentar. ejus ad 1. Corinth. XV, 29.

Quibus accensendus sit Syrus Interpres, dubitari potest. Utitur hic particula הן: quæ ut, loco, pro, vice, significat, sic significatio propter non est ab ea aliena: ut vel ex Lexicographis constare potest. Quanquam itaque Tremellius & Trostius ita transtulerunt; *Alioquin quid facient ii, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt? cur baptizantur pro mortuis?* Tamen omnino reddi potest etiam sic; *Alioquin quid facient ii, qui baptizantur propter mortuos, si mortui non resurgunt? cur baptizantur propter mortuos?* Franciscus Junius in annotationibus ad translationem paraphræos Syriacæ Tremellianam putat verti quoque posse per Super: *Vel, inquit, qui baptizantur super mortuis.*

Arabs usus est particula כדל, & annumerandus erit iis, qui τὸ ὑπὲρ idem quod pro, esse putant.

§. III.

Juxta has diversas translationes considerari commode poterunt interpretationes loci sive expositiones. Quanquam alii non incommode ita ordinent

eas, ut alias dicant exponere locum *proprie*; alias *improprie*: quod simul observabimus. Ex iis itaque, qui versionem vulgatam vel pro authentica haberi volunt, vel hoc loco saltem non improbant atque rejiciunt, quidam Baptismum pro mortuis accipiunt *proprie*, ita tamen, ut rursus duas faciant sententiarum classes. Cum namque in propria significatione Baptismus generaliter & late accipi possit pro quovis vero baptismo aquæ seu ablutione atque lotionem; possit vero etiam accipi specialissime pro priore Novi Testamenti sacramento, Baptismus dicto, qui est ablutio aquæ in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti: nonnulli in generalitate subsistunt, putantque, Baptismum hic intelligendum de vero baptismo aquæ, licet non fiat in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, nec Sacramentalis sit; cum alii sacramentalem baptismum notari arbitrentur. Atque horum ultimorum I. *Sententia* est: asserens, Paulum respexisse ad quorundam erroneam consuetudinem, juxta quam existimabant, pro iis, qui vita defuncti Sacramento Baptismi uti non potuissent, post mortem nihilominus alios baptizari posse, ut baptismus ipsis in resurrectione mortuorum profit æque ac si ipsi vivi baptizati fuissent. Hunc errorem *Cerinthianis* sive *Merinthianis* tribuit *Epiphanius*: Hæres. 28. quorum errorem in Asia, imo etiam Galatia valde viguisse dicit, & mox subjicit: ἐν οἷς καὶ τι παραδόσεων παράγμα ἦλθεν εἰς ἡμᾶς, ὡς τινῶν μὲν παρ' αὐτοῖς προφθανόντων τε λυτῆσαι ἀνευ βαπτίσματος, ἄλλοις δὲ ἀν' αὐτῶν εἰς ὄνομα ἐκείνων βαπτίζεσθαι, ὑπὲρ τῆ μὴ ἐν ἀναστάσει ἀναστάντας αὐτοὺς δίκην δένου τιμωρίας βάπτισμα μὴ εἰληφότα: In quibus etiam aliquid traditionum ad nos pervenit, quod, si quidam quidem apud ipsos occupent mori

sine

*sine baptisate, alii pro ipsis nomine eorum baptizentur, ne
 in resurrectione resurgentes pœnas dent propterea, quôd
 baptisma non acceperint. Atque ad hunc ritum respe-
 xisse Apostolum, quod suo jam tempore statuerint
 quidam, ipse Epiphanius his porro indicat verbis:
 Et hac de causa traditio qua ad nos devenit, eundem san-
 ctum Apostolum (Paullum) dixisse ait: Si omnino mortui
 non resurgunt; cur & baptizantur pro ipsis? Eundem er-
 rorem baptizandi alios pro mortuis Marcionitis tribuit
 Chrysostronus Homil. 40. in XV. ep. prioris ad Cor.
 Verba ejus hæc sunt: Marcionis morbo imbuti, qui sibi
 hunc Pauli locum usurpent, risum satis scio vehementem vo-
 bis movebo. Atqui ob hoc maxime dicam, quo magis mor-
 bum fugiatis. Nam cum aliquis apud ipsos initiatus obit,
 unum aliquem sub mortui lectum recondunt, mortuum cir-
 cumstant, alloquuntur, rogant velint baptizari. Deinde
 cum nihil respondeat, is qui subtus latet, pro illo respondet,
 baptizari velle: eum deinceps pro mortuo baptizant, sic
 quemadmodum in scena fieri solet, ludentes: adeo sibi in-
 ignavos homines Satan permittit. Hic cum accusantur,
 hunc Pauli locum citant, etiam Paulum dixisse, scilicet,
 qui pro mortuis baptizantur. Hæc Chrysostronus. Sed
 Justinianus Jesuita non multum ejus narrationi tribuit:
 Meminit, inquit, & hujus erroris Chrysostronus eumque
 tribuit Marcioni: quod etiam facit Theophylactus, cum
 tamen neque Tertullianus, neque Irenæus, neque Epiphani-
 us, neque Eusebius, neque Theodoretus, qui Marcionis er-
 rores recensent, quidquam simile ei tribuant. Et postea:
 Damascenus Marcionitas ait, negare resurrectionem, apud
 illos tamen alios pro mortuis, & iis, qui sacris fidei ini-
 tiantur, baptizari, ut appareat, illos nihil de resurrectio-
 ne*

ne cogitasse, nec verba Pauli ad eorum errorem pertinere. Hactenus Justinianus. Solet autem citari Tertulliani locus e libr. de Resurr. Carn. ad probandum, quod Tertullianus istum errorem Marcionitis attribuerit. Sic namque Chamier Tom. III. Panstr. l. 26. c. 19. n. 2. Primi, ait, qui pro homine mortuo ante Baptismum substituebant alium, qui ejus nomine interroganti responderet, tum baptizaretur, quod olim in more fuisse Marcionitarum Tertullianus ait, de carnis resurrectione cap. 48. Alii etiam carni vicarium baptismo profuturum existimabant ad spem resurrectionis. Sed fatendum sane est, quod hoc in loco Tertullianus ne verbo quidem Marcionis aut Marcionitarum mentionem faciat. Alius tamen locus est lib. 4. contra Marcionem cap. 15. quem, ni fallor, longe melius istam in rem citamus. Sic autem Tertullianus: *Negate nunc dementissimum, Marcion. Ecce legem tui quoque DEI impugnas: nuptias non conjugit, conjunctas non admittit, neminem tingit, nisi cœlibem aut spadonem, morti aut repudio baptismo servat. Quid itaque Christum ejus sponsum facis? Illius hoc nomen est, qui masculum & foeminam conjunxit, non qui separavit.* Hic Tertullianus de Deo Marcionis ait, quod neminem tinxerit, h. e. baptizaverit, nisi cœlibem aut spadonem, & morti aut repudio baptisma servavit, nimirum ex ipsius Marcionis, quem Tertullianus alloquitur, doctrina. Quid autem illud, quod morti aut repudio baptisma servaverit, sibi velit, non video aliud melius, quam quod Marcion docuerit, neminem conjugatum baptizandum esse, nisi prius matrimonium vel mortem, vel per repudium solutum esset, atque sic mortuos, & eos, qui matrimonio re-

nun-

nunciassent, baptizari concesserit. Vtique melius erit, quam dicere, quod illud morti baptisma servare sit, eum, qui per mortem conjugis solutus est, baptizari: In primis cum non negandum sit, tempore Chrysofostomi eundem errorem inter Marcionitas deprehensum. Et hinc quoque responderi poterit ad id, quod obicitur, alios Patres, qui de Marcione scripserunt, baptismatis mortuorum non facere mentionem: Quia namque error iste ex condemnatione conjugii suum habeat initium, sub ipsa origine sua comprehenderunt, satisque esse putarunt, dicere, quod nuptias ita condemnasset Marcion, ut nullum hominem conjugatum baptizari passus fuerit. Interim Paulum ad Marcionitas respexisse certum non est. Sed nec Tertullianus dicit. Chrysofostomus vero expresse dicit. Marcionitas errorem suum ex Paulo defendere voluisse.

§. IV.

II. *Sententia* est, Apostolum loqui quidem de vero baptismo Sacramentali, non tamen tali, quem quis pro alio acceperit, sed quo seipsum pro propria salute baptizari quilibet Christianorum passus esset semel. Vbi vero Autores istius sententiæ *pro mortuis* intelligunt de mortificatione spirituali, qua in baptismo quilibet peccatis moritur: *ut baptizari pro mortuis* sit, baptizari, ut reddamur peccatis mortui, vel baptizari pro mortuis (scilicet operibus, hoc est generantibus mortem) abluendis. Citantur in hanc sententiam *Sedulius, Primasius, Haimo Halberstadensis, Contarenus*. *Sedulii* verba hæc sunt: *Quicumque in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus,*

id est, ut jam quasi commortui cum ipso simus. Quid ergo prodest nobis mundo mori, si hunc contemptum voluptatum vita non sequitur aeterna? Aliter, pro mortuis, id est, operibus, qua generant mortem. Et hoc posterius Thomas amplius sic explicat: ut per hoc, quod dicit (Apostolus) mortuis, intelligantur opera peccati, qua sunt mortua, quia carent vita gratiae, & ducunt ad mortem. Et secundum hoc, ait, plana est litera: quid scilicet facient illi qui baptizantur pro mortuis, id est, pro peccatis abluendis, si non sint vitam gratiae habituri.

§. V.

III. Sententia est Chrysofomi, qui itidem de vero Baptismo Sacramentali accipit: illud, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, de resurrectione mortuorum, in cuius fidem baptizantur, qui baptizabantur, exponit, ut τὸ ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, reddatur, pro mortuis. Malumus tamen vertere per, super mortuis, adeoque referre ad alteram classem sententiarum: ubi & verba Chrysofomi citabimus.

§. VI.

Itaque sententia succedat, quæ mortuos exponit de iis, qui morti vicini sunt, Clinici dicti Veteribus: Baptismum autem similiter, ut præmissæ sententiæ, esse vult Baptismum Sacramentalem. Clinici namque lecto affixi, nondum baptizati, ne sacramento hoc destituerentur, & absque eo morerentur, in lecto etiam ante mortem, & propterea baptizabantur, quia pro mortuis habebantur, hoc est, pro iis, qui essent certo morituri, & in Ecclesia Baptismum accipere in æternum non possent. Nam si pro talibus non

non habebantur, hoc est si certa spes, quod convalituri essent, superessent, non baptizabantur. De horum itaque baptismo Apostolum accepit Epiphanius cum aliis loco supra citato. *Ceterum alii*, inquit, *re-
fere hoc dictum* (Apostoli: Alioquin quid facient &c.) *interpretantes dicunt, quod mortui vicini, si fuerint in pietatis doctrina instructi, ob hanc spem ante obitum lavacro digni fiunt, ostendentes quod qui mortuus est, etiam resurget, & ob id indiget remissione peccatorum per lavacrum.* Manifestum satis est, quod de Baptismo Clinicorum loquatur Epiphanius. Quod tamen τὸ ὕπερ τῶν νεκρῶν ex mente ipsius vertendum sit, pro mortuis, & hunc in modum interpretandum, quod Clinici habebantur, ut dictum, pro mortuis cum Calvinō eandem istam sententiam admittente asserere non audeo. Sic namque Calvinus comm. in nostrum locum Paulinum; *Baptizare pro mortuis dico, qui jam mortui censentur, & qui de vita omnino desperaverint.* verba Epiphanii Græca sunt hæc: καλῶς δὲ ἄλλοι τὸ ρητὸν ἐρμηνευόντες φασιν, ὅτι οἱ μέλλοντες τελευτᾶν, εἰάν ᾧσι κατηχημένοι ἐπὶ ταύτῃ τῇ ἐλπίδι πρὸς τῆς τελευτῆς λάτρεα καταξιώνται, δέκνυντες, ὅτι ὁ τελευτήσας καὶ ἀναστήσεται, καὶ διὰ τῆτο ἐπίδεται τῆς διὰ λάτρεα ἀφέσεως ἀμαρτημάτων. Vbi per verba ἐπὶ ταύτῃ τῇ ἐλπίδι videtur potius Epiphanius respicere ad verba Apostoli, ὕπερ τῶν νεκρῶν & ea velle παραφραζεσθαι: q. d. ἐπὶ ταύτῃ τῇ ἐλπίδι τῶν νεκρῶν, vel ἀνασσεως τῶν νεκρῶν: quod sequentia porro verba confirmant. Quare sententia Epiphanii hæc erit, quod Apostolus voluerit proponere considerandum in primis baptismum Clinicorum sive eorum, qui mortui vicini baptizarentur, ea de causa, quod in iis apparet,

simpliciter baptismum ipsis dari in spe resurrectionis, cum alioqui baptismus nihil illis prodesset, quasi diceret Apostolus: Alioqui quid facient ii, qui baptizantur in remissionem peccatorum, cum tamen ipsis nulla spes, nisi resurrectionis, superfit, & propter hanc solam baptizentur? certe si mortui non resurgunt, istos inepte facere dicendum est. Atque sic τὸ ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, reddendum esset *super mortuis*, vel *propter mortuos*: pertineretque ejus sententia, cum Chrysostomi, a quo non multum differret, ad alteram classem. Forte idem vult *Estius*, qui Epiphanium contendit per mortuos intellexisse statum mortuorum q. d. qui baptizantur propter statum mortuorum.

§. VII.

V. Sententia Theodoro tribuitur a Justiniano. Theodoretus, inquit Comment. ad nostr. loc. de Baptismo quidem Christi interpretatur, quem pro mortuis suscipi dicit, quod morientis ac resurgentis speciem quandam refert. Qui baptizatur, inquit (Theodoretus) Domino consopelitur, ut, cum mortuis fuerit particeps, sic etiam particeps resurrectionis: sin autem corpus (est mortuum, &) non resurgit, cur etiam baptizatur? Favet Apostolus ipse ad Romanos; quotquot baptizati sumus in Christo Jesu, in morte illius baptizati sumus cum illo per baptismum. Sequuntur hanc sententiam Photius & recentiores nonnulli; Baptismus non spe resurrectionis utitur: & ejus quasi speciem quandam pra se fert. Hæc Justinianus. Chamiero vero videtur Theodoretus idem cum Chrysostomo sentire, Bellarminus tamen idem hic de Theodoro cum Justiniano sentit.

§. VIII.

§. VIII.

Atque hæcenus positæ sententiæ Baptismum de vero & sacramentali accipiunt. Sed jam alii sunt, qui Baptismum verum quidem, sed non sacramentalem intelligunt. *Horum sententia est, quæ de Baptismo ceremoniali Veteris Testamenti pro mortuis suscepto interpretatur. Hanc sententiam Justinianus his refert verbis: Fuerunt, qui existimarent, respicere Paulum ad Veteris Testamenti baptismata; legitur enim in libro Numerorum (C. 19. v. 18.) eos, qui cadaver attigissent, ritu solemnè aqua aspersione lustrandos esse, quod si qui, antequam lustrarentur, diem suum, obiissent, qui erant superstites, pro iis expiandis lustrabantur, quod non obscure significant Ephem Syrus, & Eustratius Presbyter Constantinopolitanus. Chamier eandem sententiam ex Salmerone sic refert. Salmero, inquit, nonnullos recenset (& mihi lectus Petrus de bollo Probatione sacrificii Missæ) qui Apostolum velint a consuetudine Veteris Testamenti argumentum duxisse. Nam in lege fuisse sacrificia mortuorum, docent ex Judâ Maccabæo: & eras ritus solennis Numer. 18, ut si quis tangeret cadaver hominis, & propter hoc septem diebus fieret immundus, aspergeretur aqua die septima, & sic mundaretur: si die tertio aspersus non fuisset, septimo non poterat mundari. Pro peccatis ergo eorum, qui cum pietate mortui fuerant, sed sine aspersione vel baptismate discesserant, alii postea de iis solliciti baptizabantur, & Sacerdotes adhiberi curabant ad satisfaciendum pro illis. Eandem sententiam Eslus proponit & exponit. Comm. in I. ad Corinth. XV, 29.*

§. IX.

Pergamus vero in hac Classe priore sententiarum ad eos, qui *ὡς ἐπ'* etiam per *Pro* vertunt, sed *baptifinum Metaphoricum* intelligunt. Vbi *L. Sententia* eorum est, qui putant Apostolum loqui de cruciatibus, molestiis & doloribus, quæ quis patitur pro spe resurrectionis mortuorum. Hanc sententiam exponit *Justinianus*: Comm. iterum ad *L. nostr.* Sunt, inquit, qui putent, *Raulum* hac ratione argumentari, Si mortui non resurgunt, cur tam multi pro fide resurrectionis divina supplicia subeunt, & mortem ipsam fortiter oppetunt? Ut baptizari pro mortuis sit, pro asserenda resurrectione extrema quoque tolerare. Sic enim in *Actis Apostolicis* de seipso loquitur *Paulus*. De spe & Resurrectione mortuorum judicor. Rursus: quoniam de resurrectione mortuorum ego judicor hodie a vobis. Favet huic interpretationi, quod mox subjicit *Apostolus*: ut quid & nos periclitamur omni hora: quotidie morior &c. Hæc *Justiniani* sunt omnia.

§. X.

II. Sententia est, quæ eundem Baptifinum vult esse Metaphoricum cruciatuum & dolorum, sed mortuos esse vere mortuos; pro quibus e purgatorio liberandis vivi sibi ægre faciant. Alii, inquit iterum *Justinianus*, referunt ad corporis vexationes, & jejunia, & id genus alia, quibus plerique corpus vexant, ut a purgatorii penis mortuos liberent; perinde quasi ita colligat *Apostolus* quid facient, qui orant, gemunt, sese jejuniis macerant pro mortuis, si illi non resurgunt? Atque hæc quidem sententia multis vehementer probatur, non solum, quia suppli-

supplicia & qua molesta tolerantur in vita, baptismi nomine censentur, sed etiam quia ipsa purgatorii supplicia baptismi nomine significantur. Hæc sententia unice placet quodque Bellarmino libr. 1. de Purgat. cap. VI. §. Est igitur, inquit, sexta expositio vera & germana, quod Apostolus loquatur de baptismo lacrymarum & pœnitentiæ, qui suscipitur orando, jejunando, eleemosynas faciendo &c. Et sensus sit: Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgent? Id est, quid facient, qui orant, jejunant, gemunt, affligunt se pro mortuis, si mortui non resurgunt.

§. XI.

III. Sententia est Ariæ Montani, quam Estius in Comm. 1. Cor. X, 29. adfert, dum se omittere dicit. Ne prolixiores, ait, simus, omitto novam expositionem Ariæ Montani, qui locum hunc de iis interpretatur, qui Spiritum S. accipiunt ante Baptismum, veluti Cornelius cum cognatis suis & amicis, Actor. 10. Quos dicit baptizari pro mortuis, quia jam prius mortui peccato, & in vitam Justitiæ restituti, rationem non habent, cur baptizantur, nisi ut ipsa susceptione baptismi, qua peragitur immersione & emersione, profiteantur spem futuræ resurrectionis ex morte corporis. Hæc Estius.

§. XII.

Hactenus prior sententiarum variantium Classis. Transeamus ad alteram: quæ v. c. per super exponit. In hac classe iterum deprehendimus discrimen. Nam & hic quidam Baptismum de vero Baptismo Sacramentali; quidam vero de generaliori, sive non Sacramentali accipiunt. Eorum qui de vero Baptismo & sacra-

sacramentali quidem exponunt Paulum. I. *Sententia* est, quæ statuit, Paulum respicere ad ritum aliquem five consuetudinem, jam suo tempore circa baptismum invalescentem, dum qui baptizabantur, super sepulchris mortuorum baptizabantur, ad ostendendum, quod crederent resurrectionem mortuorum & in spem ejus baptizarentur. Nostratum hæc est sententia non paucorum. *Argumentum profert* (Apostolus) *aliud* (verba sunt Dn. D. *Ægid. Hunnii* nostri Comm. ad 1. Corinth. XV.) *stabilienda resurrectionis mortuorum, ductum a ritu in Ecclesia primitiva recepto, quo solebant Catechumeni baptizari ad sepulchra mortuorum, ut hac Ceremonia contestatam redderent fidem suam, de articulo resurrectionis mortuorum, pro cujus inconcussa firmitate ac certitudine non dubitent etiam mortem oppetere & sanguinem suum profunderere.* In quibus quidem verbis videtur conjungere sententiam jam superius recensitam, quod pro spe resurrectionis quidvis se passuros professi fuerint. Et est sententia *B. Lutheri* nostri tom. VI. Germ. Jen. f. 246. cui etiam subscribit Dn. D. *Gerhard T. IIX. LL. Theol. de Mort. §. 268.* Nos, in-
 quiens, *amplectimur B. Lutheri explicationem, quod Apostolus loquatur de ritu baptizandi Christianos ad sepulchra mortuorum, qui fuit symbolum fidei & confessionis de resurrectione mortuorum, ac de collectione & consociatione baptizatorum vivorum spirituali cum membris unius ejusdemque corporis mystici, quin & publica professio de morte pro Christi gloria & articulo resurrectionis obeunda. Chamier loco supra cit. n. 34. hunc Piscatori suo habet honorem, ut ipsi hanc sententiam adscribat.*

§. XIII.

II. *Sententia est Francisci Junii in notis ad versionem Paraphraseos Syriacæ Tremellianam. 1. Cor. XV, 29. Varie, inquit, explicatus locus. Nos paucis & consecutionem & ex ea sententiam loci hujus declarabimus, quam putamus simplicissimam &c.* Post de nost. loc. subjicit. *Alioquin ait Paulus, si Christus non resurrexerit, neque finem assequuntur, neque consilio sapiunt viventes, quicumque adhuc in Ecclesia baptizantur, & se baptizandos sistunt in mortem, sepulturam & resurrectionem Christi. Fines nam quid facturi sunt alioqui, aut quid de iis futurum est? Consilio: nam cur baptizantur, si non est resurrectio? Non potest esse illorum fides inanis, aut illi adhuc jacere in peccatis suis. Sed quid illud, super mortuis? Illud continuationis sive transitionis est, tanquam si diceret Paulus: Ubi-
cunque fuit Evangelium, plurimi obdormierunt hac fide, consilio & fine, etiamque in Ecclesia vestra: ut de iis modo ostendimus. Quod si sancti illi viri, qui hactenus obierunt mortem, sua expectatione & fide sunt delusi: quia ergo a superstitionibus idem amplius agitur? Cur ita adhuc pergitur in Ecclesia, & qui nunc vivunt, mortuos in eodem officio persequuntur, si inania sunt omnia? cur se mortui spe sua exciderunt, viventes desipiunt, mortuos miseris imitando, & super irrita illorum fide irritam faciunt suam? Hac vocis v^{er}æ & super significatio Græcis & Latinis auribus non est insolens. Sed de ea Grammatici viderint. Livius 2. ab urbe condita, super bellumannonam premente, id est, præter, & sexcenta alia. Cetera, judicio meo, plana sunt. Hactenus Junius. Dn. D. Gerbardus noster loc. supra citat. ex Tileno p. 2. Disput. 65.*

th. 28. refert eandem expositionem τὸ ὑπὲρ: Sed baptismum cum eo tropicum crucis & martyrii.

§. XIV.

III. Sententiam facere poterit *Chrysostomi* expositio, cujus supra facta est mentio. Is itaque in 1. Corinth. XV. hom. 40. ita scribit: *Post mysticorum illorum & tremendorum verborum pronuntiationem, & formidabiles canones dogmatum: e caelo delatorum, hoc quoque sub finem addimus, quando baptizaturi sumus, jubentes dicere; credo in resurrectionem mortuorum, & super hac fide baptizamur: post confessionem istius quoque cum aliis factam, demittimur demum in fontem sacrorum fluentorum illorum, & tu quidem per verba dicis mortuorum resurrectionem; Sacerdos autem tanquam in imagine quadam, que credidisti & verbis confessus es, ostendit tibi etiam per facta ipsa, quod quando sine signo credideris, tum tibi signum quoque prabiturus sit. Quomodo, & qua ratione? Per aquam: Baptizari enim & submergi, deinde emergere, descensus in infernum est symbolum, & inde reditus. Propterea etiam Paulus baptismum vocat sepulchrum, dicens, consepulti itaque ipsi sumus per baptismum per mortem. Hanc *Chrysostomi* sententiam non modo *Oecumenius* & *Theophylactus*, sed ex recentioribus non pauci, ipsique *Pontificii*, sequuntur.*

§. XV.

At eorum, qui de Baptismo non sacramentali interpretantur I. erit *Sententia Bezae*, quam *Chamier* refert n. 35. *Beza*, ait, τὸς βαπτίζουσας, baptizatos non exponit passive: sed active, baptizantes: nempe, voce media, ut loquuntur Grammatici: & refert ad veterem ritum

tum lavare corpora defunctorum: ut Actor. 9. de Tabitha; Factum est per illos dies, ut illa ex infirmitate moretetur: quam quum lavissent, posuerunt in cœnaculo. Quasi Paulus diceret, inanem esse operam eorum, qui tam diligenter corpora lavarent, nisi eorum speraretur resurrectio. Qui sane sensus non videtur admodum alienus. Quia tamen duriusculum est, βαπτίζομενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν pro βαπτίζομενοι τὰς νεκρὰς, mollivit, ut, τὸ βαπτίζομενοι, cit. pro βαπτίσμασι χρωόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν. Vel etiam si passiva vox magis arrideat, βαπτίζομενοι βαπτίσμασι τοῖς ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, qui baptizantur baptismis, qui usurpant solent super mortuis: ita Chamier.

§. XVI.

II. Sententia erit Bullingeri Comment. in 1. Corinth. XV. cui Apostolus vero active interpretandus hoc modo: Quid baptizant super mortuos. Quod si, inquit, per Enallagen quis legat, si omnino non resurgunt mortui, quid baptizant super mortuos? Vt passivum, pro activo, deinde vero ὑπὲρ τῶν νεκρῶν posuerit pro ὑπὲρ τὰς νεκρὰς super mortuos, simpliciore colligit sensum hunc: Ea vero Ceremonia, qua omnes pene gentes super mortuos & sepulta corpora baptizant, id est, tingunt & aquam spargunt, rigando aperte testantur, flaccida ista in terram seminata corpora restitutura. Istitis verbis suis subjicit testimonia, quibus gentium ille ritus probatur. Hic itaque de Baptismo non Sacramentali etiam accipit.

MEMBRVM SECVNDVM,
VARIARVM PROPOSITARVM SENTENTIA-
RVM EXAMEN.

§. XVII.

Proposuimus in præcedenti membro varias Au-
ctorum, tam veterum, quam recentiorum, sen-
tentias de loco nostro Apostolico, & Baptismi super
mortuis expositiones: nunc eadem perpendendæ sunt.
Ita autem res, quoad nonnullas imprimis interpreta-
tiones, comparata est, ut odiose forte examen ea-
rum in nos susciperemus, & nostris verbis, quod de-
siderari queat, exponeremus. Itaque dabimus in
hoc operam, ut, quantum fere fieri poterit, alienis
verbis hoc Examen instituamus, referamus, quid! in
qua sententia ab aliis desideretur & qua ratione refu-
tari sententia soleat.

§. XVIII.

Quod itaque primæ classis, & in hac de Bapti-
smo Sacramentali Apostolorum interpretantium I. atti-
net *Sententiam*: qua dicitur Paulus respexisse ad mor-
tem erroneorum hominum, qui pro mortuis sine Ba-
ptismo defunctis vivum alium aliquem baptizarint:
Bellarminus eam his verbis refutat: *Non puto veram
hanc expositionem. Primo, quia Apostolus debuisset saltem
insinuare hunc esse errorem, ne daret occasionem errandi,
Secundo, quia non solide argumentaretur Apostolus: posset
enim responderi, non bene probari resurrectionem ex eo,
quod ita credant quidam errantes. Sicut enim errant in
eo, quod baptizant unum pro alio, sic possunt errare in eo,*
quod

quod credunt futuram resurrectionem. Tertio, quia nullus Veterum historicorum tradit hunc errorem tempore Apostolorum fuisse: tribuit enim Phylaster hunc errorem Montanistis, qui 100. annis post obitum Sancti Pauli exorti sunt: eundem tribuit Chrysostronus & Theophylactus Marcionistis, qui etiam post obitum Pauli LXXX. annis inceperunt, denique Epiphanius heresi 28. hoc tribuit Cerinthianis, quorum secta viginti annis post obitum Pauli orta est. Adde quod Chrysostronus & Epiphanius non ipsi Marcioni & Cerintho, sed posteritati eorum hunc errorem tribuunt merito. Alioqui enim quomodo Ireneus & Tertullianus hunc errorem non refutassent; qui diligentissime refutarunt omnes errores Cerinthi & Marcionis. Dicit quidem Tertullianus, hunc errorem fuisse tempore Apostolorum, sed non habet nisi hinc! itaque merito Chrysostronus & Epiphanius & Theophylactus hanc expositionem, ut falsam, rejiciunt. Hæc Bellarminus. Similia habet Justinianus contra hanc sententiam. Concedit tamen Justinianus contra Bellarminum: quod Cerinthianorum errorem alioqui potuerit Paulus notare. Sin autem (quod ait Epiphanius) inquit, Cerinthianorum error fuit (baptizare alios pro mortuis) falluntur magnopere ii, qui negant, potuisse Apostolum eum errorem confutare, cum dicat Epiphanius, eum vixisse una cum Apostolis & Petro ac Paulo non semel obstitisse. Et quod quidem Justinianus notat de Cerintho, quod Petro & Paulo obstitissent omnino apud Epiphanium habent: nisi existimes, Epiphanio non ultra conjecturæ fidem tribuendam, aut Cerinthum tamen non manifeste discessisse ab Apostolica Ecclesia, nisi post mortem Petri & Pauli. Estius similiter judicat veritabile non esse, Apostolum ex facto quo-

rundam graviter errantium voluisse capere Argumentum pro resurrectione mortuorum: dicitque hanc expositionem rejicere Epiphanium, Chrysoftomum, Theophylactum, Lyranum. *Chamier* quoque *Professo*, ait, *alienum est ab Apostoli & sinceritate & majestate: primum enim tam crassum errorem nullo unquam stigmate notare, non videtur dignum eo, cui Evangelii veritas supra omnia cara fuit. Deinde, argumenta ad hominem vim habent tum demum, quum sunt a persuasionem ejus, qui cum disputatio est: Itaque alterutrum oporteret concedi, vel apud Corinthios hunc morem fuisse, quod est præter omnem verisimilitudinem, vel Apostolum lusisse operam disputando; quod quis credat, cui notus Apostolus? Itaque assentimur Bellarmino & Salmeroni, rejicientibus hanc interpretationem, addita etiam temporis notatione. Nam sive Cerinthi sive Marcionis somniatio fuit, posteriorem Pauli fuisse oportuit. Hæc ille. Quod dicitur tamen a Bellarmino & Estio, Epiphanium & Chrysoftomum rejecisse hanc interpretationem, ut falsam, non video, qui verum fit. Epiphanius rejicit errorem Cerinthianorum, & refutat confirmantes eum ex Apostolo: quod idem facit Chrysoftomus contra Marcionitas. Sed explanationem Pauli, qualem facit Tertullianus, non video aliter ab iis rejici, quam quod ea præterita aliam amplectuntur: ubi vero merito dubitatur, an interpretatio Tertulliani ipsis cognita fuerit. Quod insuper negatur ex Bellarmino & Justiniano, Marcionitas errorem istum baptismationis aliorum pro mortuis errasse, de eo supra jam aliquid dictum. Dicenti, quod Tertullianus fuerit hujus interpretationis inventor, & conjectura usus ex hoc ipso loco statuerit,*

tem-

tempore Apostolorum errorem istum viguisse, favet locus e libr. de Resurrect. carn. Supra productus, si in ipso Autore plenius legatur.

§. XIX.

Jam II. *Sententiam* de Baptismo uniuscujusque pro se & mortificatione Spirituali, hunc sensum facientem; *ut quid baptizantur pro mortuis*, id est, peccatis abluendis, vel malis operibus mortem generantibus mortificandis: iidem autores refutant; quicquid *Thomas* dicat, planam esse literam. *Bellarminus*, at contra, inquit: *Primo quia Apostolus subdit*: si mortui non resurgunt, ut quid baptizantur pro illis? *nimirum hominibus mortuis, qui non resurgunt. Itaque clare docet, se non de peccatis, sed de hominibus agere. Non enim vult probare, quod peccata resurgant, sed quod homines resurgant. Secundo, quia tota vis argumenti perit, si dicatur, quid facient, qui baptizantur pro peccatis diluendis, si mortui non resurgunt? posset enim responderi, multum prodesse, diluere peccata, etiamsi mortui non resurgant, quia bonum est in hac vita frui testimonio bonæ conscientia. Tertio, quia peccata non dicuntur mortua, nisi quando sunt deleta & extincta; non ergo Paulus nomine mortuorum intelligit peccata, quæ adhuc delenda sunt. Sed de tribus his Bellarmini rationibus Chamier dicit, eas inutiles esse omnes. Nam 1. Apostolum non scripsisse, ut quid baptizantur pro illis; etsi vulgata editis ita expresserit secundo loco; sed ὑπὲρ τῶν νεκρῶν pro mortuis. 2. Nec argumenti vim perire, cum id Sedulius summat a renunciatione, quæ fiat omnibus commodis hujus vitæ: prætereaque testimonium bonæ conscientia*

tix non sit ultimus finis spei Christianorum: ut recte dixerit Paulus: *Si in hac solum vita speramus in Christum, miserissimi omnium hominum sumus.* (Posset, ni fallor, insuper quæri, quid profit testimonium bonæ conscientix Christianorum hac in vita, si mortui non resurgunt? Certe Apostolus nil vidit; unde dicit; *Edamus & bibamus, cras enim morimur*) 3. Opera juxta Thomam dici mortua etiam, quia careant vita gratix: (adde, quia generent mortem, vel ducant ad mortem: nec recordatus etiam est Cardinalis, quod Paulus ipse Hebr. VI, 1. & cap. IX, 14. peccata vocet, *εργα νεκρά, opera mortua*, quatenus sunt terminus poenitentix a Quo.) Itaque nec *Justinianus Bellarmino* multo melior: qui nihil a Bellarmino discrepat, nisi quod, omissò relativo *illis*, confert vocabulum *mortuorum* prioris loci, cum eodem posteriore loco posito. *Estius* brevior Bellarmino est & tamen plus præstat. *Apostolus*, inquit, *manifeste significat, non de operibus, sed de personis se loqui, cum addit: si mortui non resurgunt. Item vocabulum (mortui) nisi quid addatur, ut opera, nusquam peccata significat.* In quem quoque sensum *Chamier* scribit: nisi quod unum addit. Verba ejus sunt. *Sed revera durior est interpretatio, etsi visa facilis Thomæ. Primo recte notavit Salmero, inusitatum esse, peccata per mortuos intelligi: mortui, inquit, non nisi valde mystice significant peccata. Secundo importuna ambiguitas esset in eodem contextu: Si non resurgunt mortui, nempe homines: qui baptizantur pro mortuis, nempe peccatis? Denique argumentum nullum esset: quia agitur non de vita gratia simpliciter, ut *Thomas* supponit, sed de resurrectione carnis, absque qua concipi*

cipi potest vita gratia; ut constat in animabus sanctorum ante resurrectionem: quibus utilitas est vel nunquam satis extollenda, quod vita illa gratia fruantur, etiamsi sine corpore. Sed de hoc postremo ipse etiam Chamier tacere potuisset; quippe quo eodem manifeste etiam incidit nervum ejus Paulini argumenti, quod supra ipse Bellarmino opposuit: *Si in hac solum vita speramus in Christum, miserissimi omnium hominum sumus.* Nam si tantum de resurrectione carnis & non simul immortalis animæ gloria post hanc vitam (quam Chamier minus recte *vitam gratia ante resurrectionem* consideratam nominat, nisi sit vitium typographicum) quærebatur: Paulus certe non sine culpa adversariis imputat, quasi statuunt, in hac tantum vita sperandum esse in Christum: & invalidum inde argumentum struit. Incidit etiam nervum alterius argumenti, cum Paulus concludit: *Si mortui non resurgunt, comedamus & bibamus: cras enim morimur.* Qualis enim esset, hæc argumentatio, nisi Pauli adversarii negassent animæ immortalitatem & post hoc seculum gloriam? nonne per calumniam Apostolus ipsis Epicuræismum imputasset? Addatur potius, loco hujus, sententiam hanc esse contra naturam præpositionis *ut* five per *pro*, five per *super*, exponatur, modo cum hoc verbo conjungatur: nec non contra articulum.

S. XX.

De III. *Sententia*, quæ *Chrysostrami* est, dicemus infra, IV. itaque *Sententiam* de Baptismo sacramentali eorum, qui morti vicini, five *Clinicorum*, *Bellarminus* ita confutat. *Hæc, inquit, expositio refellitur: Pri-*

mo, ex illis verbis, ut quid baptizantur pro illis? nam dicere debuisset, ut quid baptizantur pro se, non, pro illis. Secundo, quia illud, pro mortuo, non potest dici, nisi in iis actionibus, quae fiunt circa mortuos. Verbi gratia, recte dicimus, ille cecidit ex loco edito, & pro mortuo sublatus fuit, vel pro mortuo lotus, sepultusque fuit, etiam si viveret. At non recte dicitur, ille ambulabat, vel comedebat, vel loquebatur, pro mortuo. At baptizari est vivorum, non mortuorum; non recte dicitur baptizari aliquem pro mortuo, etiam si agat pro extremis, sed potius debebat dici baptizari pro vivo, etiam si vere sit mortuus. Justinianus vero impietatis plane damnat istum Baptismum Clinicorum, Sed cum hoc (baptizare Clinicos) aequae (ac illud, baptizare alium aliquem pro mortuo) impium ac superstitiosum sit, nullo modo existimandum est, id hoc loco indicari, ne id videatur Apostolus sua autoritate confirmare; neque enim inde ille argumentum sumeret, neque institutum valde apposite confirmaret. Haec tamen Justinianus. Chamier vero, refutat, scribit. Bellarminus. Primo quia dictum, ut quid baptizantur pro illis? nam dictum oportuit, pro se. Verum, nos antea monuimus, pro illis, esse a mala manu, & graece repeti ὑπὲρ τῶν νεκρῶν. Secundo, quia, pro mortuo non potest dici, nisi in iis actionibus, quae fiunt circa mortuos: at baptismus, vivorum est, non mortuorum. Intellego & clarius effero: cum dicitur quis, relictus est pro mortuo, sensum esse; relictum fuisse, sicut relinqui solent mortui. At hoc absurdum, baptizari, sicut solent mortui. Et videtur observatum non absurde. Non fuerit tamen alienum a ratione, si dicas baptizari pro mortuo, id est, tum, quum haberetur quasi mortuus. Et ita Calvinus: vel si magis placeat,

placeat, inquit, altera significatio, baptizari pro mortuis, erit sic baptizari, ut mortuis, non vivis proficit. Verum etiam hic durior phrasis erat, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν: tum propter propositionem, cum propter articulum. Deinde non videtur constare vis argumenti, ad probandam resurrectionem carnis, de qua agebatur. Nam etiam mortuis proficisset baptismus; per solam remissionem peccatorum etiam si caro non resurgeret. His vero omnibus non est motus Estius, ut hanc sententiam rejiceret: Dicit potius, Autores refellentes non recte intelligere Epiphanium, Quidam, inquit, Epiphanii sensum non bene capientes, existimant eum id velle: baptizantur pro mortuis, id est, tanquam mortui: quomodo dicimus aliquem sublatum aut derelictum pro mortuo. Qui sensus quia minus convenit, refellendam sumunt expositionem Epiphanii, Quod non fecissent, si sensum, quem vult Epiphanius, recte fuissent assecuti. Nam mortuorum nomine statum mortuorum in scripturis significari, patet ex usitatissima phrasi, qua quis ex mortuis resurgere dicitur. Unde & de solo Christo loquens Apostolus, resurrectionem mortuorum nominavit. Rom. I. & mox; igitur totum hoc erotema Apostoli, sic explicandum videtur; Alioquin, id est, si omnino non est resurrectio mortuorum, quem fructum reportabunt, qui baptizantur, jam jam morituri, & per hoc profitentur se baptizari propter statum futurum post hanc vitam? Hic sensus apertus & simplicissimus; & ad probandum id, quod Apostolus instituit, aptissimus: praesertim si cum Tertulliano urgeamus baptismum corporibus adhiberi, non animabus &c. Contra Justinianum quoque dicit, de Clinicis a baptismo minime repellendis extare veterum Conciliorum & Pontificum de-

creta. Atque hic Estius ab ista sententia non dimo-
vetur. Et quidem supra dictum est, dubitari posse,
an sensus Epiphaniæ sit is, quem communiter faci-
unt, & non potius cum sensu Chrysostrami omnino
conveniat: quod qui concesserit, idem de Epipha-
niæ, quod de Chrysostrami, expositione dicendum ef-
se statuet. Argumentum præterea non tantum Bel-
larmini ex Relativi natura sumptum, sed & Chamie-
ri a vi argumentandi adscitum, non magni momenti
est, juxta ea, quæ superius ad secundam sententiam
dicta sunt: melius autem sine dubio urgetur na-
tura præpositionis græcæ, *ὄντως*, & articuli. Quic-
quid enim sit de Latina præpositione *Pro*, in hoc usu
cum Græca *ὄντως* nondum inveni convenire. Nec
tam validum, ut Estius sibi imaginatus est, *τῶν νεκρῶν*
notare *statum mortuorum*. Dixerim, nullibi in tota
Scriptura locum inveniri, & ex ea proferri posse, in
quo vox ista sumatur abstracte, ut sic loquar, pro so-
lo statu, qui mortuorum esse solet. Si vero eum no-
tat, connotat statum cum iis, qui in isto statu sunt.
Hoc volo, si (ex hypothesi) mortuus unus tantum
esset. ex. gr. Habel, & idem in hanc vitam resuscita-
retur, inepte, mea sententia, dixeris, eum ex mor-
tuis resuscitatum fuisse. Verum est, in Scripturis
haberi phrasin, *Resuscitari ex mortuis*. Sed si percur-
reris loca, deprehendes, semper tum usurpari, quum
multi in morte relinquuntur. Quando autem uni-
versalis resurrectio indicatur, non usurpatur ista phra-
sis, nec dicitur *resurrectio ex mortuis*, sed *resurrectio
Mortuorum*. Matth. XXII, 31. Marc. XII, 26. (nec ob-
stat v. 25.) Luc. XX, 35. Actor. XVII, 32. XXIV, 15. 24.
XXVI.

XXVI, 23, &c. inprimis consideretur stylus c. XV, 1. Epist. ad Corinth. Ut omnino phraseos sensus hic sit: *Resuscitari ex mortuis*, id est, ut inter mortuos non amplius sit numerandus. Locus *Rom. 1.* absurde hunc in sensum citatur, cum non dicatur, Resurrectio ex mortuis; sed *resurrectio mortuorum*. Atque absurda, inquam, est interpretatio, resurrectio mortuorum, id est, resurrectio status mortuorum. Neque enim status mortuorum resurgere dici potest. Sed hic est sensus Apostoli, Jesum Christum esse demonstratum Filium Dei in virtute, juxta Spiritum Sanctitatis, ex resurrectione mortuorum, id est, ex eo, quod manifestum fecit se habere potestatem suscitandi mortuos (dum se ipsum & multos secum Matth. XXVII. suscitavit nimirum ex mortuis.) & resurrectionem mortuorum per ipsum certo futuram esse. Vel, si hoc non placet, meminerit *Estius*, quod ipse in Comm. in Rom. I, 4. *resurrectionem mortuorum* sumserit, pro resurrectione ex mortuis. Sed satis de hac sententia.

§. XXI.

Theodoro V. Sententia a Justiniano & Bellarmino adscripta est. Et suum quidem de hac judicium *Justinianus* hoc depromit. *Fateor, inquit, videri hanc interpretationem, si referatur ad verba, paulo duriolem; cum enim dicat Paulus, baptizari pro mortuis, non facile, quisquam admiserit, eum, qui pro mortuis interpretetur illum baptizari, qui resurrectionem mortuorum aliquo modo representet, alioqui simplicissima atque expeditissima esset sententia.* *Bellarminus* prolixius refutat. At

*contra, inquit, Primo quia neque Hebraice, neque Græce, neque Latine agere pro aliquo, significat eum representare, sed agere loco ejus, vel in ejus utilitatem. Quis unquam dixit de agente in Theatro personam Davi aut Pamphili, ille egit pro Lavo, aut pro Pamphilo? Secundo, quia qui baptizantur, representant mortem Christi, & simul mortem suam, ut patet ex Apostolo Rom. 6. Quotquot baptizati sumus; consepulti enim sumus cum illo per baptismum. &c. Itaque baptizari pro mortuis, erit baptizari pro se, & pro Christo, quod absurdissimum est, nec in Scripturis unquam reperitur, baptizari pro Christo, sed solum baptizari in Christo, vel in ejus nomine, ut patet Rom. 6. Gal. 3. Act. 10. & 19. Tertio, quia Argumentum Apostoli nullum esset; nam ex eo, quod qui baptizatur, agit personam mortui, non sequitur, quod profiteatur resurrectionem. Debuisse ergo Apostolus dicere; Quid facient, qui baptizantur pro suscitatis, vel pro mortuis & suscitatis? Sed etiam si hoc dixisset, adhuc leve esset argumentum ejus, quia posset responderi, in baptismo representari resurrectionem, non carnis a morte, sed anime a peccato. Id enim Apostolus significat Rom. 6. ut in novitate vitæ ambulemus. Et Col. 3. Si confurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite. Ita Bellarminus. Chamier in sententia Chrysostomi, cum quo Theodoretum, ut supra dictum, conjungit, hæc quoque Bellarmini argumenta consideret. Et ad secundum quidem respondet, non dictum Chrysostomo, baptizari pro mortuis, quia representet mortem suam. Deinde falsum, representari mortem Christi: nec Paulum id dicere Rom. 6. Ad Tertium, baptizari pro mortuis non esse dutaxat representare mortem, sed utrumque & mortuos & resurgentes, ut dis-
 te*

te Chrysoſtomus exprimat. Primo argumento aliquod tribuit momentum; non prout tamen a Bellarmino proponitur, ſed propter phraſin Græcam *ὑπὲρ τῶν νεκρῶν*: nam neque *ὑπὲρ* venire unquam in eam notionem, neque videri articulum commodum. Et certe videtur nihil omnino admodum roboris ineſſe Bellarmini omnibus argumentis. In primo namque licet provocet ad Hebræam quoque & Græcam linguam: Tamen, ut ex verbis ipſius patet, non aliter citat, niſi quantum cum, *pro*, Latino, quod vulgatus habet, conveniunt. Atque Theodoretus potuit τὸ ὑπὲρ accipere in ſignificatione τῆς *super*: quod etiam ſupra de Chryſoſtomo viſum eſt. In altero argumento refellendo, ſi non velimus uti Chamieri ſolutione (quanquam enim fruſtra Bellarminus ruruſ ſuum, *pro*, urget: non tamen videtur negandum, quod qui baptizatur repræſentet & ſuam & Chriſti mortem) dicere poſſumus: adeo non eſſe abſurdiſſimum, baptizatum & ſuam & Chriſti mortem repræſentare, ut ne abſurdum quidem ſit, eam cum ſua & Chriſti morte atque reſurrectione etiam omnium hominum vel fidelium ſaltem mortem & reſurrectionem repræſentare. Vnde Apoſtolus in genere loquitur, *ὑπὲρ τῶν νεκρῶν*, *super mortuis*. Cum aliquo tamen diſcrimine repræſentatur Chriſti & aliorum hominum in Chriſto mors & reſurrectio: ad quod fortè Chamier reſpexit. Chriſti namque mors & reſurrectio reſpicitur in baptiſmo, ut fundamentum beatæ noſtræ mortis & reſurrectionis. Vnde baptizatus, prout Apoſtolus ipſe ſubmiſtrat, ſuper hoc baptizatus, quod, quemadmodum Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, ita in virtute mor-

tis & resurrectionis Christi omnes fideles in Christo beate moriantur & resurrecturi sint. Vbi omnino dicendum esset, Paulum saltem præcipue ad hoc posterius respexisse, & non æque ad mortem Christi respectum habuisse dicendo, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν. Confer. Rom. VI, 3. Ad Tertium recte respondit Chamier, in voce νεκρῶν comprehendi mortuorum & mortem & resurrectionem. Neque Apostolus dicit ὑπὲρ τῆ θανάτου, super morte: sed subjectum mortis ponit ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, super mortuis, ut potissimum intelligatur id, quod de hoc subjecto speratur & futurum est: & non tam mors, quæ pridem præverfit, & propter quam dicuntur mortui. Imo vero, si utique Apostolus dixisset, super morte mortuorum; Tamen nihil lucraretur Bellarminus. Procul dubio respexisset Theodoretus ad Rom. VI. Atqui ibi ipse Apostolus v. 3. dicit; *Nescitis, quod, quotquot baptizati sumus in Christum Jesum, in mortem ejus baptizati sumus?* Nominat mortem, & tamen simul urget resurrectionem; ut ex verbis ipsius v. 4. 5. manifestum est. Nec vis argumenti eliditur per hoc, quod Bellarminus putat, responderi potuisse, istam repræsentationem resurrectionis non tam carnis, quam animæ fuisse. Vtriusque namque fuit. Sed Rom. VI. Apostolus juxta scopum suum ad posterius respexit; ad 1. Cor. XV. ad prius. Imo non absurde dixerim, baptismum repræsentare resurrectionem carnis per prius, animæ per posterius, quia illa resurrectioni Christi magis similis est: licet ratione temporis prior sit animæ, quam carnis. Non putarim vero etiam recte contra hanc sententiam a Chamiero urgeri articulum. Phrasin autem,

autem, *baptizari ὑπὲρ τῶν νεκρῶν* merito opponit Chamier. Quis enim est, cui hæc interpretatio, baptizari super mortuis, vel pro mortuis (utrocunque modo τὸ ὑπὲρ verteris) id est, baptizari ita, ut mortuorum mors & resurrectio repræsentetur, non videatur durissima? Addo, quod quidem Chamier non curat istam repræsentationem pertinere ad omnes baptizatos, & qui baptizantur: Cum tamen Apostolus discrimen omnino insinuet inter baptizatos super mortuis & non baptizatos super mortuis. Quod si loqui voluisset de communi ejus adjuncto aliquo aut proprio; utique videtur dicturus fuisse, quid facimus, quod baptizamur super mortuis, aut simili modo. Vergeam etiam vocem *mortuorum*. Vox hæc certe accipienda h. l. est de iis, qui jam jam mortui sunt. Atque in baptismo non mortuorum tantum mors & resurrectio repræsentatur; sed omnium simul eorum, quibus moriendum est, fidelium imprimis, adeoque eorum ipsorum, qui baptizantur. Atque si hoc quidem Chamier voluit, dum articulum urfit, quoad rem refutatam nolo; ad articulum autem provocandum fuisse non existimo.

§. XXII.

Super est *VI. Sententia*, scil. *Aria Montani*: De qua sufficet adferre judicium *Estii* in *Comm. I. Corinth. XV.* qui postquam verbis supra allegatis sententiam istam *Aria Montani* exposuit, subjicit: *Viderit Auditor, qua probabilitate Commentarium hunc suum adferat, mihi profecto violentus ac longissime petitus videtur.*

§. XXIII.

Hactenus habuimus sententias, quæ de bapti-
 E
 mo

fimo Sacramentali a priore classe locum nostrum accipiunt. Sententia porro, quæ de Baptismo V. T. vero, sed pro mortuis, accipit, communiter rejicitur. *Justinianus, ut concedamus, ait, quod negari non potest, potuisse in V. T. eos, qui vita functi essent, precibus & sacrificiis sublevari: non tamen facile admiserim, id pertinere ad sordes illas, quæ ex Cadaverum contactu contrabebantur. Quocirca commemoratio Baptismi nihil habet commune cum illis sacrificiis, quæ pro mortuis afferebantur. Quod si argumentetur Paulus ab ea sollicitudine, qua mortuorum corpora bumantur, & animæ piorum suffragiis juvantur, haberet quidem argumentum vim non exiguam; numen tamen baptismi usurparetur valde improprie, ut fateri omnino sit necesse, hanc Pauli explicationem prorsus esse coactam & violentam.* Non dico sententiam immerito rejici: dico tamen argumentum Justiniani nullius esse momenti. Concedit ipse, quod Judæi in Veteri Testamento opinati fuerint, mortuos juvari vivorum suffragiis, putatque negari non posse, quod recte fecerint. At potius dicendum est, non fecisse: nisi ad historiam Judæ Maccabæi decurreris, quæ est dubiæ fidei. Quod si fecerunt, revera error fuit. Et in ista parte si errare potuerunt; potuerunt in hoc quoque errare, ut putarint, baptizandum esse aliquem pro mortuis non baptizatis. Fuerit enim opinio de fordibus. At Judæi sequioribus temporibus putarunt, tam necessarium esse ab istis fordibus purgari, quam sacrificia offerre. Deinde, si nugæ istæ de sacrificiis pro mortuis placerent, possemus dicere, quod melius possent dici baptismus, quam Pontificiorum jejunia & alia pro mortuis præstanda. Possent

Possent namque dici baptismus, quod pro non baptizato offerrentur, ut supplerent baptismus, quod pro non baptizato offerrentur, ut supplerent baptismum, qui peragi non potuisset: qui si non fuisset a mortuo contemptus, ut tamen testimonium sacrificium esset, quod ex contemptu non esset neglectus aut intermissus. Tertio, quasi vero si utique in V. T. suffragia valuissent, magnam haberet argumentum vim ex sententia Bellarmini, Estii, &c. qui exceptionem toties opponunt, potuisse fieri talia pro mortuorum animabus, non carne. *Estius* mitius judicat de ista sententia. *Multo* inquit, *probabilius illi, qui putant Apostolum argumentari ex facto Judaorum &c.* Post. *Ac sane non est incredibile, tale quid a Phariseis odio sectæ Saduceorum fuisse factitatum &c.* Et iterum: *Quamvis autem hæc expositio non sit contemnenda nititur (enim non levibus conjecturis?) est tamen & alia merito, ni fallor huic & cæteris omnibus anteponenda.* Hæc, *Estius*, qui ulterius non refutat. *Chamier* non tantum contra sacrificia pro mortuis in V. T. recte negat, ullâ in scripturis doceri: sed etiam cum *Salmerone* urget, quod nusquam legamus, solitos baptizari alios pro aliis, sive mortuis, sive viventibus: quod & verum est. Addit autem; *Præterea, eam ablutionem immundorum ex contactu mortui non constare factam in spem resurrectione carnis, quæ Apostoli disputatio est. Erat enim potius in remedium ceremonialis pollutionis: cujus ratio aliena erat a peccato.* Quibus verbis quid in ista sententia refutet, vix adeo, nisi id forte sit, quod putat *Estius* fieri potuisse, ut pro mortuis baptizati sint, ut simul protestarentur, qui id facerent, fidem immortalitatis ani-

marum, & resurrectionis mortuorum contra Sadducæos. Acquiescamus in hoc, quod merum purum putum figmentum sit, cujus vestigium ne in recentioribus quidem Hebræorum scriptis appareat. Nec vis fuisset argumenti ulla, si Paulus hominum stolidorum & incredulorum errorem urfisset, Judæorum imprimis contra Ethnicos.

§. XXIV.

Superfunt in priore classe sententiæ duæ de *Baptismo metaphorice*, i. e. afflictionibus tum propriis, tum pro aliis, jam mortuis, susceptis. Et primam quidem *Sententiam* de suppliciis & doloribus pro spe mortuorum *Justinianus* unico argumento plane subruere vult. *De vi*, inquit, *argumenti magnopere dubito: facile enim responderent Corinthii, eos insanire, qui pro falso dogmate (resurrectionis mortuorum) mortem opteterent.* Quod vero argumentum frivolum est, cum eodem refutetur argumentum Apostoli, quod mox subjicit, dicens: *Vt quid & nos periclitamur &c.* Nam & hic respondere Corinthii potuissent; quare adeo insanitis, ut propterea periclitemini, mercedem in resurrectione mortuorum expectantes, aut istud dogma defendentes. Huic itaque sententiæ opponendum potius est, tum quod vocabulum *βαντιλεειναι*, saltem ad tales afflictiones non pertineat: tum quod sententiam cum phrasi *ὑπὲρ τῶν νεκρῶν*, sive pro mortuis, sive super mortuis interpreteris, non satis conveniat: nisi sic explices forte, ut intelligantur ii, qui in ipsa disputatione de resurrectione mortuorum supplicia & molestias aut ipsam mortem pati coguntur; ut Aposto-

lus

lus dixit: *super resurrectione mortuorum ego iudicor*, id est, propterea, quod resurrectionem mortuorum credo & defendo. Sed sic tamen etiam dixisset similiter potius; qui baptizantur super resurrectione mortuorum; inprimis, quia eodem versu dicit; *si mortui non resurgunt*: ut quid baptizantur pro resurrectione mortuorum. Prudenter hic quoque observabunt articulum repugnare: Et si quid aliud est.

§. XXV.

Sed altera sententia, de afflictione pro iis, qui in purgatorio sunt, vehementer placet Bellarmino cum aliis, & operose defenditur. Ægré tamen admittitur a Justiniano, sed adversus hanc, inquit, expositionem eadem ferme objici possunt, que contra superiorem: nam diceret forte quispiam eos errare, ut etiam errant heretici, qui pro falso atque impio dogmate non pauca patiuntur incommoda. Estius plus audet. Certe, inquit, non multum probabilitatis habere videtur istiusmodi commentarius. Argumenta addit: Primum, quod illa baptismi significatio valde figurata sit ac rara; nec ab alio, quam a Christo Domino usurpata. Quod enim ad verba precursoris attinet, loquentis de Baptismo ignis Matth. 3. melius ea referuntur ad rem gestam in die Pentecostes: quando super Apostolos Spiritus S. in igne descendit. Actor. 2. quemadmodum bene probat Jansenius cap. 13. Conc. Evang. Nam & Christus illuc refert predictionem Johannis, Actor. 1. & ipse Hieronymus eum sensum adfert priore loco: quem & alii Docti sequuntur. Deinde refellitur ille commentarius; quia baptismus illis duobus locis, qui allegantur, non significat afflictionem seu passionem quamlibet, sed vehementem

tem eamque forinsecus illatam aut irruentem &c. Hoc autem ad voluntarias afflictiones, ut sunt orationes, elemosinae & jejunia, qua pro mortuis adjuvandis suscipiantur, accommodari non potest &c. Hæc Estius non male. Prolixius autem disputat contra hanc sententiam Chamier, & Bellarmini argumenta confutat. Nimis multa verba sunt: summam transferemus huc. Pugnat fere Bellarmini ipsius armis. I. Bellarminus contra Chrysofomi sententiam excipit, improbabilem esse, quia juxta eam Apostolus dixisset potius in prima persona: quid facimus, qui baptizamur. At idem objici posse observat Justinianus Bellarminianæ sententiæ: itaque Chamier urget & merito. Vidit certo hæc etiam Bellarminus: ideo decurrit ad Vetus Testamentum, Apostolus, inquit, argumentari voluit non a consuetudine Christianorum, quæ tanquam nova rejici potuisset ab incredulis, sed a consuetudine Judæorum, qui more veteri, & secundum scripturarum exempla orabant & jejunabant pro mortuis. Ridiculus profecto Cardinalis est. Bellarminus autem, inquit Chamier, quos incredulos dicit? gentesne? at hæc eque rejecissent illam Patrum imitationem. Judæosne? At Paulus Christianis conatur persuadere. Christianosne? ridiculum, hos rejecturos fuisse Christianorum consuetudinem. Addit, non majori timore opus fuisse, quam quum dixit Apostolus: Inanis est prædicatio nostra &c. 2. Bellarminus alias quoque sententias oppugnavit, quod haud haberent vim concludendi: cum excipi posset de animabus. Atqui idem hic excipit Chamier. Bellarminus dicit immortalitatem animæ, & resurrectionem mortuorum fuisse quæstionis conjunctas. Diceret forte aliquid, nisi ipse

ipſe ſibi hoc prius negaſſet. Inprimis vero urgenda improprietas vocabuli βαπτιζεſαι; de qua mox: & ſententia ſcripturæ repugnans. Argumenta quoque Bellarmini Chamier refutat. I. eſt, *Baptizari* paſſim in Scriptura & Patribus accipi pro *affligi* Marc. 10 Luc. 12. Cyprian. Nazianz. Reſp. Chamier, nullam eſſe conſequentiam; alias ſumitur. E. hoc loco. Et hanc ſignificationem aliis eſſe longe rariorem. II. Pœnas purgatorii a ſcriptura & Patribus vocari baptiſma Matth. 3. Reſp. Chamier negando, quoad Scripturam imprimis. III. Quia expoſitio maxime quadret cum ſequentibus. Reſp. Chamier, alias quoque quadrare, cum ex duobus unum cum ſequentibus faciat argumentum. IV. Quod conveniat cum 2 Maccab. 12. Reſp. Chamier, Cômpiletorem Maccabæorum abſurdum eſſe. Ita Chamier reſpondet. Addamus aliquid de ſignificatione vocis baptizari & baptiſmi, cum maximum & præcipuum fundamentum in hoc ſententia iſta abſurda quærat, quod ſignificetur iſtis afflictio & paſſio quædam. De Patribus quidem nolumus eſſe admodum ſolicitî: quamvis ſatis manifeſtum ſit, Bellarminum eorum verbis & uſu vocabuli turpiter abuti. Nam, ut paucis comprehendamus, quod ad Patres attinet, ii vocem baptiſmi applicant iis, quæ vicem baptiſmi ſuſtinere ſuo modo poſſunt, & fere eandem virtutem, ſecundum ipſos habent. Ita dicunt Martyrium eſſe baptiſma: non ratione certæ afflictionis & paſſionis, ſed ratione virtutis, quod tamen proſit martyrîbus, quantum baptiſmus. Nempe quod ſi quis non baptizatus martyrîo coronetur, martyrîo baptiſmus ſuppleatur, & cum alias ſine bapti-

baptismo nemo ingredi queat regnum cœlorum, talis martyr possit, licet aqua baptizatus non sit. Eadem est ratio lachrymarum & pœnitentiæ. Nam si quis ante mortem baptizari non potuit, cum lachrymis tamen seriam egit pœnitentiam, dicebant, eum propterea non damnandum esse, quod baptizatus aqua non fuisset, cum tamen etiam aliquo baptismo, lachrymarum & pœnitentiæ baptizatus fuerit: non respicientes sane iterum ad afflictionem & passionem pœnitentiæ & lachrymarum, sed virtutem, quod tantum valerent, quantum baptismus. Quod & verum est ratione fidei: quæ fides, martyrii, pœnitentiæ & lachrymarum testimonia habens, omnino talis est, quæ hominem etiam non baptizatum, æque ac baptizatum salvet. Videamus ipsa loca Patrum a Bellarmino producta. Cypriani itaque verba manifesta sunt. *Nos enim, inquit, qui domino permittente primum baptisma credentibus dedimus, ad aliud quoque singulos preparemus, insinuantes & docentes, hoc esse baptisma in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius, baptisma in quo angeli baptizant, & in quo DEVS & Christus ejus exultat: baptisma post quod nemo jam peccat, baptisma quod fidei nostræ incrementa consumat, baptisma quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat. In aqua baptismo percipitur peccatorum remissa, in sanguinis corona virtutum. Cum quibus Cypriani verbis conveniunt hæc Nazianzeni Orat. de Epiph. εἶδα καὶ τέταρτον βάπτισμα τὸ διὰ μαρτυρίας καὶ αἵματος, ὃ καὶ αὐτὸς χειρὸς ἐβαπτίσσατο, καὶ πολὺ γε τῶν ἄλλων ἀδυσσιμώτερος, ἕσω δευτέρους ῥύποις & μολύνεται: Scio & quartum baptisma, quod per martyrium & sanguinem fit, quo & Christus ipse baptizatus est,*
longe

longe reliquis venerabilius quanto secundis sordibus non inquinatur. Qui similitudini operationis five virtutis addiderunt, & fundamenti loco posuerunt convenientiam quandam in ablutione: quod quemadmodum in baptismo aquæ aqua perfundimur; sic martyr sanguine suo, pœnitens lachrymis suis irrigetur. Atque hoc est, quod *Cyprianus* serm. de cœn. Dom. scribit: *Gemitus illos pietas excitat, & inter diem & noctem retro & ante se affectio intuens, inter data & condonata se dividens, gratias agit tam uberis beneficii largitori, & se sacratam & sanctificatam agnoscens, fletibus se aliud & lachrymis se baptizat.* Et *Nazianzen.* in orat. cit. ἵδα καὶ ἀέμωτον ἔτι τῶν δακρύων, (ὁδωτισμα) ἀλλ' ἐπιπονώτερον ὡς ὄλων καὶ ἐδάσην νύκτα τὴν κλινὴν αὐτῶ, καὶ τὴν φρωμὴ τοῖς δάκρυον. *Novi* prater ea quintum lachrymarum (baptisma) sed laboriosius. *Vt si quis lavat singulis noctibus lectum suum, & stratum lachrymis.* Quid vero hoc ad orationes, eleemosynas, & jejunia pro mortuis? aut quid ad afflictiones alias aut num quis martyrium subibit pro mortuis? ut ipse profit aut defectum baptismi suppleat? num pœnitentiam aget pro mortuis, & loco eorum lachrymis se baptizabit? Impia! Ad scripturæ autem phrasin adpellatur. Sed quid? si quis dubitet, an ullibi in scriptura *baptismus* pro passione aliqua accipiatur, aut pro baptismo sanguinis? Loca duo sunt, in quibus Christus ita usurpare videtur. Prior locus est *Mattb. XX, 22. 23.* vel *Marc. X, 38. 39.* (pro uno namque loco sunt: cum utrobique eadem historia, eadem de iisdem verba) ita autem loquuntur Evangelistæ: *Respondens autem Jesus ipsis (Filiis Zebedæi) dixit: Nescitis, quid petatis. Potestis*

*bibere poculum, quod ego bibiturus sum, & baptisate, quo ego baptizor, baptizari? Dixerunt ipsi; possumus. Jesus autem dixit ipsis: Poculum quidem meum, quod ego bibo, biberitis, & baptisate, quo ego baptizor, baptizabimini. At sedere a dextris meis & a sinistris meis, non est meum dare, sed quibus paratum est a Patre. Optime monet Chrysostomus, quod Dominus istis verbis discipulis suis ostendere voluerit, ipsos orare longe omnibus hominibus, imo Angelis & Archangelis sublimius. In thronum namque, in quo Christus cum Patre suo confedit, neque ad sinistram, neque ad dextram quisquam confessus est, cum Filio DEI nemo æqualis sit, & in personam divinam nemo vel assumptus vel assumendus. Hoc itaque Christus discipulos suos edoctrus proponit ipsis *calicem & baptisma* suum. *Calicem* esse passionem Domini, nemo merito dubitaverit, neque ego dubito. Vult Dominus ipsis dicere: in throno, in quo ego sessurus sum, nulla creaturarum confidebit, nisi possit bibere calicem, quem ego bibiturus sum, imo jam bibo (ut Marcus habet.) Vos non potestis bibere. E. non confidebitis in isto throno. Majoris propositionis ratio hæc indicatur, quod ad bibitionem istam requiritur divina virtus: adeoque quæcunque creatura bibere debet, eam oportet esse Deum, & quæ potest, ea Deus est. Discipuli excipiunt quidem ad minorem contradicendo, afferuntque se bibere posse. Sed Christus respondet distinguendo inter bibere perfectum atque proprium, & inter bibere, per communicationem gratiosam. De priori bibere, de quo etiam locuta est major, Minor quoque firma manet &*

certa.

certa. De posteriori concedit Dominus, quod bibi-
turi sint, sed id non erit ad rem, & sedere, quod illi
competi, dare, non est hujus temporis, in quo Chri-
stus nondum est plene distributor præmiorum æter-
norum, sed res adhuc est in consilio & decreto DEI
Patris occulta. Videatur forte hoc sufficientissimum
esse, quoad passionem Domini; ut non opus sit idem
per baptismum dicere. Esse potius (dixerit quis) no-
vum argumentum a *baptismo Spiritus Sancti*, quo Sal-
vator baptizatus est ab initio, constantes baptizatur
per vitam, & tandem in resurrectione omni plenu-
dine, quoad donorum usum, baptizandus erat. Ar-
gumentum hoc: Q. non baptizatur eo Spiritus San-
cti baptismo, quo ego baptizor sine mensura, & post
mortem & resurrectionem meam baptizandus sum,
quoad plenum donorum usum: ille non potest sede-
re in eo throno: in quo sessurus sum, sive ad dex-
tram, sive ad sinistram. Atqui vos non baptizamini,
nec potestis baptizari isto baptismo Spiritus Sancti.
E. non potestis considerare in throno meo, sive ad
dextram, sive ad sinistram meam. Major propositio
certissima esset, & niteretur hoc fundamento, quod
sessio in throno isto quatenus creaturæ est, nihil aliud
est, quam plenus donorum Spiritus Sancti per istum
baptismum concessorum usus. Hic quidem rursus
contradicent Apostoli ex ignorantia sua: sed Domi-
nus eadem ratione respondebit, qua ad exceptionem
eorum priorem. Atque sic esset hic *baptismus Spiri-
tus S.* non passionis. Argumentis hæc sententia uti
posset. Quod I. VOX βαπτισεν & βαπτισεναι de bap-
tismo Spiritus S. aliquoties usurpetur in Scriptura, &

ab ipso Christo: quod sit extra omnem controversiam. 2. Quod Christus Spiritu s. baptizatus fuerit non tantum in sua conceptione unctus & sanctificatus Spiritu Sancto, ut habetur Luc. 1. & communis Christianorum fides asserit, sed etiam cum aggressurus officium prædicandi solenniter, a Johanne in Jordane baptizatus est, idemque baptismus nunquam defierit, ut merito Dominus in præsentem loquatur, inquiens, *quo ego baptizor*: & in sessione ad dextram ad *animum* ratione usus, provenerit, ut Petrus testatur Act. 2. affirmans eum in sessione ad dextram Patris accepisse promissionem, etiam ad effundendum eam super discipulos suos. Plane consentire Johannem Baptistam Joh. III, 34. asserentem, Deum Patrem Filio suo, Jesu Christo, dedisse Spiritum sine mensura. 3. Melius sit omnino in omni textu Scripturæ distinguere, quæ distingui possunt. Atque calicem Domini & baptismum Domini hic posse optime distingui. 4. Congruat expositio toti contextui; nec quicquam videatur, quod vel repugnet, vel durum sit. Et si quid addi posset aliud. Jam quod ad locum *Luc. XII, 50. baptismate oportet me baptizari, & quomodo carcer, donec perficiatur?* Similiter non necessario de baptismo crucis exponendum videri posse. Quid enim impediatur, quo minus etiam hunc locum de baptismo Spiritus Sancti explicemus, quo Christus in exaltatione sua baptizandus & unguendus erat, quoad plenarium divinorum donorum usum? ut sensus sit Domini: baptismo quidem aliquo a Johanne baptizatus sum, & accepi Spiritum Sanctum in eo, sed præstantius adhuc baptisma mihi super est Spiritu-

Spiritus S. quo baptizandus sum: Et quando desiderio coarctor, donec compleatur baptisma istud adeo desiderabile, quo etiam supra hunc statum præsentem meum evahendus, & longe præstantioribus donis extollendus sum. Baptisma a Iohanne acceptum non finit miseriam meam atque tot tantasque vitæ molestias: Illud me plane gloriosum facit. Rationes non deesse. Nam (1) vocem baptismi hac ratione in significatione notiori saltem accipi. (2) Egregie convenire interpretationem cum verbo συνέχομαι, quod in significatione desiderii exponant? hunc certe baptismum esse, quem quantopere Dominus desideraret, non semel exposuerit. (3) Egregiam quoque esse coherentiam. In v. 49. dicere Dominum se venisse ad accendendum in terra ignem, qui sit ignis prædicationis Evangelicæ universalis, & per eandem incensus. Istum ignem accendi non potuisse, antequam Christus exaltaretur ad dextram Patris baptizareturque tum ipse plenitudine Spiritus S. ad plenarium Majestatis usum, tum baptizaret suos quoque discipulos Spiritu S. in die Pentecostes. Itaque Dominum optare quidem, ut accensus esset, sed accendi nondum potuisse. Nondumne accepit Spiritum S. per quem accendat? Nondumne baptizatus est & unctus ad prædicandum? Respondebit Christus: nondum tempus: sed præcedere debet aliud baptisma, & plenius, quam quod accepi. Accepi donorum divinorum usum, sed majori & pleno, quam ad hujus ignis accensionem opus est. Baptizatus sum baptismo, ad accendendum igniculum quendam in Judæa, inter me præcipue & Principes populi Israëlitici: superest baptismus, quo

ignem in toto terrarum orbe accendam. Quid? si quis aliquid de passione Domini etiam hic cogitet, comprehendi scilicet sub hoc baptisinate Spiritus S. tanquam necessarium aliquod antecedens? Atque diversa conciliet? Nimirum Bellarminus hanc interpretationem refutare cogetur. Si non poterit, tota ipsius interpretatio baptismi super mortuos, vel pro mortuis, ut ille mavult, corruet. Nullum namque in Scriptura amplius fundamentum erit, quo nitatur significatio ista de afflictionibus. Dicit quidem etiam *aquas* significare tribulationes, sed illud profecto, vel iudice *Estio*, non est ad rem. Nugator itaque frustra gloriatur, veram & germanam esse suam interpretationem. Romana est, id est, falsa; non germana, & vera.

§. XXVI.

Sequitur jam *altera sententiarum classis*: Ejusdemque *prior ordo* accipientium sc. de verbo baptisimo Paulum. In quo 1. *Sententia* est, quæ respici existimat ad ritum peragendi baptismi sacramentum ad sepulchra martyrum atque sanctorum defunctorum: istum ritum jam tempore Apostoli cepisse quibusdam in locis, & juxta eundem Apostolum dicere baptismum peractum super mortuis. Sententia certe talis est, de qua scribit *Chamier*, eam neque baptizandi vocem, neque mortuorum nomen abducere a sua simplici significatione. Eadem tamen *Beza* apud *Chamierum*, & ipsi *Chamiero* non satis probatur. Patet ex verbis *Chamieri* his: *Sed hoc, inquit Beza, nulla idonea ratione probatur. Nec vero Piscator confirmavit, nisi a verisimili: neque enim absurdum est, inquit, veteres Chri-*

Christianos super sepulchra baptizari voluisse, ut testarentur, se una eum Christo mortuos esse peccato: & propter Christum paratos esse mori, ac si jam in sepulchris recondendi essent. Profecto, qua de facto sunt, in iis periculosum est, solis niti conjecturis. Ita Chamier. Quoniam oblitus est articuli, quem crebro hactenus urfit: nec mentionem facit præpositionis ὑπὲρ, quæ per juxta potius interpretanda esset: nec vocabulum νεκρῶν putat incongrue usurpari pro sepulchris, quamvis mortui in iis conditi: nec vim argumenti opponit, quæ pro resurrectione non sit valida, cum locus iste baptismi in honorem & memoriam defunctorum eligi potuerit: nec hoc, quod isto tempore Apostoli vix sit probabile, potuisse inter initia Christianismi istum ritum ullibi exerceri, ut in testimonium publicum allegari potuerit ab Apostolo, nos, qui non tam nostrum, quam aliorum examen promissimus, non prolixè urgebimus, aut cum ista sententia piorum multorumque virorum litigabimus.

§. XXVII.

Progredimur potius ad II. hujus ordinis *Sententiam*. Ea est *Francisci Junii*: cui baptismus sacramentalis quidem est, sed τὸ ὑπὲρ *super*, idem quod *præter*, & *ultra*. Sententiam supra verbis Junii prolixè proposuimus. Quod ad significationem Præpositionis ὑπὲρ, quæ *Junio* cum *Tileno* communis est, & baptismum *Tileni* tropicum modestissime judicat Dn. D. *Gerhardus* noster, de mort. §. 268. *liberam* inquit, cuique relinquimus, si hanc interpretationem, qua nihil quicquam fidei analogia repugnans continet, amplecti velit.

Quæ

Quæ tamen idem opponi possint, his verbis exponit: *talis significatio particulae ὑπὲρ pro ultra & præter videri posset paulo coactior: ac distinguit Apostolus factum eorum, qui super mortuos baptizabantur a tropico illo baptismo crucis & calamitatum, de quo vers. 30. agere incipit, ubi novum & a priore distinctum pro resurrectione argumentum profert. Quod si enim de baptismo crucis & mortis versus egisset, non in tertia persona dixisset: quid faciunt, qui baptizantur, sed in prima persona seipsum iisdem annumerasset, cum & ipse periculis mortis propter Christi confessionem quotidie fuerit expositus.* Judicium modestissimum ad Junii sententiam quoque merito transferri aut extendi poterit. Quam viro vicissim etiam hoc ferit, quod de coacta particulae ὑπὲρ interpretatione objicitur. Qui rigorosius examinare eandem sententiam voluerint: opponent forte etiam hoc, quod juxta eam plane non fuisset opus mortuorum facere mentionem, in phrasi *baptizari super mortuis*; sed baptizatorum potius. Dixisset nimirum Paulus, si istud voluisset: Alioqui quid facient, qui baptizantur super baptizatos, si mortui non resurgunt? ut quid baptizantur adhuc, ultra eos, qui jam baptizati sunt? ut quid scil. non tandem sapere incipiunt, postquam vident negata resurrectione mortuorum baptismum baptizatis nihil prodesse, ipsi tandem omittant baptismum, qui utique in spe resurrectionis mortuorum accipitur? quasi enim, qui jam mortui sunt, soli sint baptizati, ut, qui baptizatis adduntur per baptismi admissionem, dicantur baptizari ultra mortuos. Sensus utique fuisset etiam clarior, si Paulus baptizatorum potius, quam mortuorum, fecisset mentionem.

Oppo-

Opponent vero porro etiam, quod duriuscule vocabulum mortuorum accipiatur per Synechoclen pro solis mortuis baptizatis: præsertim in contextu, in quo immediate antecessit idem vocabulum, in genere tam de baptizatis, quam non baptizatis necessario accipiendum; & in quo disputatur pro resurrectione universali mortuorum. *Chamier*, ni fallor, adderet etiam hoc, quod nulla esset Paulini argumenti vis: quandoquidem facile excipere potuissent adversarii ejus, nec se negare baptismum, nec vanum esse concedere, etiamsi resurrectio mortuorum nulla sit. Nam baptismum unire corpori Ecclesiæ, dare etiam & impetrare talia, quæ nobis in hac vita prodesse possint. Adderent forte alii alia: si ex his nondum appareret, jam dictis, hanc quoque sententiam non omnes difficultates tam facile superasse.

§. XXVIII.

Ventum tandem est ad *sententiam Chrysostomi*, de baptismo Sacramentali super spe resurrectionis, & cum confessione ejus. De qua *Bellarminus* quidem æquo durius judicat: forte quia tanquam sine omnibus multis tamen præferendam, sibi maxime obstare arbitrabatur. Dubito enim nisi vidisset suis de baptismo orationum, elemosynarum & jejuniorum pro mortuis nugamentis longe præstare, adeoque acerbo judicio gravandam & premendam, quantum fieri posset, an tam rigorosus judex futurus fuisset. Judicium ejus hoc est: *certe dura & violenta expositio est*. Addit tamen etiam rationes. *Primo*, inquit, *quia non diceret Apostolus: quid facient, qui baptizantur pro*

G

mortuis;

mortuis; sed quid facimus, qui baptizamur pro mortuis? secundo, quia inauditum est, ut nomine mortuorum intelligatur spes resurrectionis, vel corpora mortua, cum in Græco sit νεκρῶν in genere Masculino, & corpora sint generis neutrius, σῶματα. Tertio, quia si ideo diceremur baptizari pro mortuis, quia recitamus articulum de mortuorum resurrectione, etiam possemus dici baptizari pro Deo Patre, & pro Christo & pro Spiritu S. & pro Ecclesia, quia hæc omnia excitamus in symbolo. Quarto, quia Apostolus videtur omnino nomine mortuorum homines mortuos intelligere, & nihil aliud. Eandem cantilenam canit forte ex Bellarmino Justinianus. At Estius, non adeo iniquus huic sententiæ est. Placet, inquit, hic commentarius etiam Theophylacto & Occumenio. Sed aliis coarctior videtur, ac quod hic sermo, pro mortuis, ad illum sensum egre trahi possit. Chamier ad Bellarmini argumenta ita respondet, quasi Chrysostomi hanc sententiam unice amplecteretur. Ad I. dicendum fuisse Apostolo, ut quid baptizamur; reponit, phrasin nullam ob stare: nec Logicam ullam facere hanc propositionem, qui baptizantur super mortuis, particularem, nec ob stare etiam sequentia, ut quid periclitamur: utpote quæ novum plane argumentum faciant. Ad II. inauditum esse, ut nomine mortuorum intelligatur spes resurrectionis vel corpora mortuorum, cum in Græco sit νεκρῶν, masculino genere: respondetur ridiculum esse. Nam 1. esse Grammaticationem ineptam. Sciunt enim, inquit, τῶν γραμματικῶν πάντων, masculino genere, τὸν νεκρὸν significare cadaver. Et exemplis fatis tum ex Homero, tum LXX. Interpp. probat 2. neminem per mortuos intelligere aut spem resurrectionis,

nis, aut corpora mortua. Ad III. dicendum quoque esse, baptizari pro Patre, Filio, Spiritu S. Ecclesia; ridiculum iterum esse. *Nam cur, ait, cum mortui mutantur in resurrectione, necesse sit Patrem, Filium, Spiritum S. retineri, nulla mutatione facta? Muta ergo, ut dicas pro fide in Patrem, Filium, Spiritum: pro fide Ecclesia: & quid erit absurdi.* Ad IV. Bellarmino quidem visum esse nomine mortuorum homines mortuos intelligi: sed non Chrysofostomo, At Chrysofostomum Bellarmino infinitis parasangis præferendum esse. Nihilominus non consentit tandem Chrysofostomo. Rationemque reddit his verbis: *movet me phrasis Græca ὑπὲρ τῶν νεκρῶν. Nam neque ὑπὲρ mihi occurrit unquam in eam notionem: neque videtur articulus commodus: nisi forte non putaverit: hac ad vivum ressecanda Chrysofostomus, aut Paulo fuisse Græcitatem accurato observatam. Quamquam in Græcis etiam necesse est, nos deferre Chrysofostomo. Id alii viderint. ita Chamier.* Qui quidem tamen nescio an satisfecerit responsionibus suis Bellarmino. Nam II. loqui Apostolum debuisse in prima persona, si dicere voluit aliquid, quod omnibus baptizatis commune est, omnino videtur. Etiam si namque Logica id non requirat; at contextus & cohærentia verborum, atque stylus ipse Apostoli. Quando in hoc capite seipsum includit, certe in prima persona loquitur. Conf. v. 14. 15. 19. 30. In III. Argumento solvendo non videtur etiam satisfactum esse Bellarmino, si argumentum ejus melius expendatur, quam ipse proposuit. Nam hoc, ni fallor, vult Bellarminus. Si propterea quod in fidem resurrectionis mortuorum baptizamur, possumus dici baptizari pro

mortuis: poterimus etiam dici baptizari pro Patre, Filio, Spiritu Sancto & Ecclesia, quia in fidem de Patre, Filio, & Spiritu S. baptizamur, & Ecclesiae unitatem profitemur. Hic memini, quod in Græco textu sit, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, quod verti potest *super mortuis*. Sed num hoc quoque dici poterit? baptizari super Patre, Filio, Spiritu S. aut Ecclesia. Certe ipse Chamier tandem confessus est, quod ὑπὲρ τῶν νεκρῶν non possit satis commode pro ista Chrysostrami interpretari sententia. Apparet itaque, quod hæc quoque sententia difficultatibus non careat.

§. XXIX.

Superfunt *duæ sententiæ* de Baptismo super mortuis, vel mortuos, non sacramentali. Prior est Beza: quam Chamier, ut ex supra citatis ejus verbis apparet, quantum fieri potest, defendere conatur, vel probabilem saltem reddere: & tamen non multum ei tribuere cogitur. Nam profecto non parum dure interpretatur hoc loco Beza τὸ βαπτίζεσθαι active, de actione transeunte in aliud subjectum, mortuos scilicet. Quare & Chamier duriusculum vocat. Non parum etiam dure præpositio ὑπὲρ circumscribit accusativum patientis. Hoc verum est, quod βαπτίζεσθαι significet lavare, abluere seipsum, ut Marc. VII, 4. ubi dicere forte possim active usurpari, sed de active reciproca seu agentis in se ipsum: sed hic usus abusus istum Bezæ excusare nequit. Posterior Bullingeri est, de qua propterea prolixi esse nolumus, quod non invenimus, qui in ea refutanda occupatus sit. Forte etiam quoque, qui legerunt, existimaverunt ita comparatum esse, ut nemini se facile probatura sit vel se ipsam

ipsam quoque refutet. Et quis credat Paulum ad istum, quem Bullingerus recenset, Ethnicorum morem respicere non tantum voluisse, sed interpretari etiam, quod resurrectionem mortuorum significet? Quis credat, voluisse verbum *παριστῆσαι* usurpare pro aquam superfundere vel irrigare: *ὅπερ* cum genitivo positum hic vertendum esse *per super* cum Accusativo? Vt itaque hoc membrum concludamus tandem, unicuique permittimus iudicium, an ulla præmissarum sententiarum Paulo satisfaciatur?

MEMBRVM TERTIVM,

IN QVO SENTENTIA NOSTRA PROPOSITVR CVM
RATIONIBVS SVIS.

§. XXX.

Permittimus, inquam, unicuique iudicium, an ulla præmissarum sententiarum Paulo satisfaciatur: postquam singulas distincte & candide proposuimus, simulque difficultates circa res suborientes subjunximus. Proponemus jam in hoc tertio membro nostram sententiam, benevolo Lectori de hac quoque liberum iudicium concessuri, si placuerit: gratulabimur nobis de labore non frustra suscepto. Sin: consolabimur nos, quod idem cum multis doctis Viris passi sumus, id est, erravimus: & hoc magis consolabimur errorem nostrum, quod partim speramus innoxium esse, utpote per quem analogia fidei non lædatur; partim præstantioribus ingeniis occasionem dedimus diligentius rem considerandi.

§. XXXI.

Vtque ab initio statim tota sententiæ nostræ facies in conspectum veniat: *Statuimus Apostolum loqui de baptismo ceremoniali Veteris Testamenti, super mortuis, utpote qui propterea a DEO per Mosen institutus fuerit, ut populus Israeliticus commonefieret resurrectionis mortuorum.* Ab autoritate itaque Veteris Testamenti argumentantem dicere: *Alioqui quid facient ii, qui baptizantur super mortuis, si mortui non resurgunt? Vt quid baptizantur etiam super mortuis? Sensum nimirum Apostoli hunc esse: Nostis, quod in Veteri Testam. DEVS per Mosen instituerit, ut quisquis mortuum tangeret, immundus esset, cogereturque tertio die baptizari; quem eundem ritum hodieque multi inter nos Christianos, qui ex circumcissione conuersi sunt, ita observant, ut adhuc super mortuis baptizentur. Ritus vero ille ceremonialis, quare olim institutus est? nonne propterea, ut esset testimonium aliquod resurrectionis? Certe hunc in finem adhuc usurpatur ab iis, qui super mortuis baptizantur. Quod si vero, ut quidam inter eos contendunt, mortui non resurgunt: frustraneus erit ille ritus & intolerabilis, fallit DEVS, qui ritum eundem in commonefactionem resurrectionis mortuorum instituit.* Hic, inquam, sensus Apostoli erit,

§. XXXII.

Consideremus nunc ipsa verba. *τί ποιήσω, inquit Apostolus, οἱ βαπτίζομενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν: οἱ ὅλως νεκροὶ ἢ ἐγείρονται; τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; τί ποιήσω;* *quid facient?* inquit. Hoc primum est: in quo consideranda tum Persona tertia; tum tempus futurum; tum sensus phraseos. Persona tertia facit, ut

non

non omnes Christianos Apostolus intelligat; nec se ipsum includat. Alias, quod aliquoties sententiis membr. 2. examinatis objectum est, dixisset Apostolus: τί ποιήσομεν; quid faciemus? Adjuvat certe articulus voci βαπτίζομενοι appositus, οἱ βαπτίζομενοι: quem hic distinctivum esse, non obscurum esse arbitramur cum aliis. Scilicet quidam sunt, qui baptizantur; quidam sunt, qui non baptizantur. At hoc tam certum est, ut verum maneat, etiam si verba de baptismo sacramentali acciperentur. Nam si omnes homines consideres, quidam sunt, qui baptizantur, quidam sunt, qui non baptizantur sacramento baptismi. Ab ista itaque parte, quæ baptizatur super mortuis, separat se Apostolus. Rectissime hoc fit in sententia nostra. Judæorum iste ritus fuit, retentura Judæis conversis, non receptus a Gentilibus conversis. Nam recipere Judæorum ritus nolebant, & absoluti sunt a coactione in Concilio Apostolico Hierosolymis celebrato Act. XV. Paulus Apostolus Judæus quidem natione sive origine erat: sed Gentium Apostolus factus, factus est omnibus omnia, gentibus sicut Gentilis: ut eum hoc tempore, quo Epistolam priorem ad Corinthios scripsit, inter Gentiles conversatum, recte dixeris usum non fuisse. Imo verò, si constaret Apostolum hoc ipso tempore potuisse uti ritu Judæico, tamen dari posset ratio, quare se non inclusisset aperte, loquendo in prima personaa, sed tacite tantum in persona tertia. Nimirum, quia scivisset, non admodum gratum gentilibus futurum, si aperte profiteretur, se ritu isto uti, imo gentilibus infirmioribus etiam scandalo fore; nec aperte professus id fuisset,

fuiſſet, nec aperte quoque negaſſet. Loquitur porro in futuro tempore: quia de eo, quid, ſi reſurrectio mortuorum recte negaretur futura, conſecuturum eſſet, ſermo eſt. Vult dicere Apoſtolus. Si reſurrectio non eſt, circumſpiciendum deinceps iis, qui baptizantur ſuper mortuis, quid ipsis faciendum, & quid facturi ſint? Tota tandem phraſis, *quid facient?* reſpicit deſenſionem facti, & id, quid in poſterum agendum ſit, vel cauſa obtenta, vel deſperata. Et interrogatio vehementer negat: q. d. Nihil poterunt facere aut præſtare: non poterunt factum ſuum deſendere: cogentur quoque deſperare de uſu facti ſui, atque ſine, quem intendunt: optimum ipsis erit, im-poſterum ritum iſtum tanquam ineptum & ridiculum repudiare atque condemnare. Niſi enim reſurrectionis mortuorum commoneſciat, vel nullius, vel non magni momenti eſt. Sic hæc particula cum noſtra ſententia optime convenit, quin etiam eam non parum adjuvat.

§. XXXIII.

Porro, *οἱ βαπτιζόμενοι*, inquit Apoſtolus. De articulo præcedenti §. jam aliquid dictum: plura addere opus non videtur. *βαπτιζέσθαι* certe non tantum paſſivæ formæ eſt, ſed & conſtanter in Novo Teſtamento in hac forma paſſivæ ſignificationis eſt: nec medium verbum unquam in activa ſignificatione legitur. Vnde ſupra Chamier Bezam aliter ſtatuentem defendere ſolide non potuit. Eſt tamen tale paſſivum, ut itidem ſupra dictum eſt, per quod paſſio in ipſum agentem recipitur, adeoque reddi potest, *lavare, abluere ſe aquis, ſich waſchen, ſich baden.*

den. Textus namque Marc. VII. 4. clarissimus est, ubi Evangelista de Phariseis, καὶ ἀπὸ ἀγορᾶς ἐὰν μὴ βαπτισώμεται, ἔσθω, ἐδίδωσι: *Et esoro (venientes) nisi baptizentur, non comedunt.* Quemadmodum affine verbum *νίπτεισθαι* eadem ratione ibidem usurpatur, v. 3. οἱ γὰρ Φαρισαῖοι καὶ πάντες Ἰουδαῖοι, ἐὰν μὴ πύγῃ νίψονται τὰς χεῖρας, ἔσθω, ἐδίδωσι: *Pharisei enim & omnes Judaei, nisi laventur manus pugnatus, non comedunt.* βαπτίζεσθαι, ut νίπτεισθαι, recte usurpatur in significatione actionis reciprocae: quemadmodum ostensum est. Quare optime verti potest locus noster Paulinus: *quid facient ii, qui se abluunt, lavant super mortuis.* Idemque verbum cum non tantum ipsum, sed & nomen ejus verbale, βαπτισμός, de ablutionibus ceremonialibus Veteris Testamenti usurpetur in Novo Testamento; nihil omnino impedit, quo minus hoc quoque loco ita usurpatum existimetur. Vid. Marc. VII, 4. Luc. XI, 38. Marc. VII. 8. Hebr. IX, 10. LXX. quidem Interpretes, in versione Veteris Testamenti Græca usi sunt potius voce *λέεσθαι*: Sed non immerito Stylus Novi Testamenti: & ipsa natura vocis βαπτίζειν tantum valent, ut istud non moremur.

§. XXXIV.

Sed quid jam fiet Phrasi *ὕπερ τῶν νεκρῶν*? inquis: Fiet, inquam, quod debet; ni fallor: *Νεκροί* nobis sunt corpora mortua, ut non tantum apud profanos Autores, sed & apud Interpretes LXX. frequentissime usurpari, contra Bellarminum solide probavit Chamier. Et si opus foret, possent exempla quoque Novi Testamenti addi. Nomen quidem Masculinum est: nihilo minus tum de corporibus, tum de foeminis etiam usurpatur: non ita quidem, ut, quemadmodum Bellarminus ineptivit, subaudiatur nomen, *σώματα*; nec etiam *γυναῖ-*

nes (quorum illud cum neutrum sit, hoc autem foem-
 ninum, absurde & contra omnem Grammaticam con-
 jungerentur cum Masculino, aut sub Masculino suban-
 direntur) sed ut subintelligendum veniat vocabulum
 ἀνδρώται, homines. Atque hic ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, idem erit
 ac si diceretur, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν ἀνδρώται. Nec aliter
 apud Hebræos usurpatur vocabulum מֵת, *Meth*, mor-
 tuus scil. אָדָם, *Adam Homo*: quod propterea etiam de
 Sara deprehenditur dictum Genes. 23. De corporibus,
 inquam, intelligendum est: Ratio est, quia qui corpora
 mortua tangebant, per istum contactum immundi
 reddebantur & propter hanc immunditiam lavabantur.
 Verum enim vero non simpliciter corpora intelliguntur.
 Neque enim corpora simpliciter vocantur νεκροί.
 Nonne enim dicimus potius, corpora mortuorum,
 quam corpora mortua? Sic apud Hebræos hi immun-
 di, quanquam immundi reddebantur per tactum Cor-
 poris sive cadaveris, tamen dicebantur מֵת לְנַפְשׁוֹ
Temem lenaphsch, *immunda super anima*. At anima non
 est corpus simpliciter, sine alio aliquo connotato. Ni-
 mirum ita se res habet. Vocabula ista notant totum ho-
 minem mortuum: & Hebræum quidem מֵת נַפְשׁוֹ
Naphsch, per Synecdochen partis primariæ pro toto. In morte
 quoque, quicumque hominum mortuus est, habetur pro
 toto homine: prorsus ut Latini quoque mortuos vocant
 homines, & ipsa individua eodem, quo ante mortem,
 appellant nomine, e. g. de Aristotele mortuo dicentes;
 hic est Aristoteles. Rationem non intelligit, nisi qui
 scripturam intelligit. Morte homines non pereunt in
 morte: imo nihil de mortuis perit in morte & per mor-
 tem. Super est & corpus & anima. Nec tantum non pe-
 riere mortui, sed anima quoque & corpus, licet separata,
 habent-

habentur tamen pro uno homine, & eodem quidem, qui fuit, antequam corpus & anima dissolverentur. Atque hinc porro fit, ut, quicquid vel animæ vel corpori fit, dicatur homini isti factum. Quicquid de corpore vel anima intelligendum est, dicatur de homine, cujus corpus & anima fuit. Si exemplum desideres in re non obscura, sumamus Abrahamum, Lazarum. Fuerunt animæ illorum, secundum saltem interpretes non paucos, & dicuntur Abrahamus & Lazarus: lisdem vero si lapides sepulchrales dandi fuissent: ut non male inscribi potuisset; hic jacet corpus Abrahami, hic jacet corpus Lazari, ita potuisset recte hoc Epitaphium poni: Abrahamus hic sepultus est: Lazarus hic conditus est: Hinc itaque hoc quoque consequitur, ut, quando resurrectionem mortuorum nomine, non intelligo tantum resurrectionem corporum, sed totorum hominum. Sic jam loco quoque nostro Paulino sunt, qui baptizantur super mortuis, id est, propterea, quod contigerunt corpora mortuorum, quæ adhuc corpora illorum sunt & dicuntur: & omne id, quod corporibus fit, sive bonum sive malum, sive honorificum; sive ignominiosum, ipsis mortuis fieri statuendum sit. Ita nobis accipiendum videtur nomen mortuorum, tum in nostro imprimis loco, tum alibi. Qua ratione totum hoc vocabulum in toto versu 29. accipiendum est, ut de significatione vocis, vel circa significationem ejus prorsus nihil immutetur. Resurgunt mortui: num sola corpora mortua? Non sane, sed corpora animata. Num animata aliis, quam quibus olim prædita fuerunt, animabus? Profecte non; Sed illas ipsas, quas quondam habuerunt, habitura sunt animas; ut vere dici queat, eosdem homines resurrexisse. Finge corpus quondam Adami

aliam accepisse animam, & cum ea resurgere; Adamum resurrexisse, aut mortuum resurrexisse dicere vere non poteris.

§. XXXV.

Articulum τῶν quod attinet, quem toties urget, nec immerito, *Chamier*, in nostra sententia tam plene suum retinet & exercet officium, ut nihil merito desideretur; imo nulla hactenus in sententia plenius, si utique concesserimus, quod in una alterave æque faciat. Verum enim vero ut emphasis, quam hoc loco habet, hoc magis intelligatur, comparandum est nomen νεκροῖ in medio versu sine articulo positum, cum eodem in principio & sine versus cum articulo posito. Dicit Apostolus in medio versus, εἰ ὅλως νεκροὶ ἐκ ἐγείρονται, si omnino mortui non resurgunt, articulo omisso; non autem εἰ ὅλως οἱ νεκροί. Ab initio versus cum articulo: οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, qui baptizantur super mortuis, non autem βαπτιζόμενοι ὑπὲρ νεκρῶν: in fine versus similiter: τί βαπτίζονται ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; ut quid etiam baptizantur super mortuis? non autem τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ νεκρῶν; Atque sic cum discrimine loquitur: sine dubio certa de causa & cum emphasi. An cujusvis tamen sit id exponere, dubito. Tentabimus, si quid præstare vel queamus, vel contingat. Dicit itaque Apostolus, εἰ ὅλως νεκροὶ ἐκ ἐγείρονται, si omnino mortui non resurgunt, Articulus hoc alioquin subire solet officium, ut vocem, cui additur, determinet quodammodo, & definiat: quæ sine eo posita indefinita est. Quare hoc in loco etiam, quod vox νεκροῖ caret articulo, latiori in usu eadem accipienda est. Notabit itaque, ut existimo, mortuos late & indefinite accipiendos de quibusvis mortuis vel universis simul sumptis, vel quibuscunque, indiscrimina-

minate tamen, h. e. sine ulteriori descensu, Judæine sint, angentiles, fideles an infideles. Id quod Apostolus facit propter ea, ut suo argumento majorem inserat nervum, q. d. si mortui, quicumque tandem illi sint, non resurgunt: adeoque & hi mortui, super quibus isti baptizantur, non resurgunt, cum utique mortui sint. Vel: si mortui, modo mortui sint, & quatenus mortui, non resurgunt. Germanus ex sua lingua, quod dicimus, intelligere potest. Idem est namque, quod si Germanus dicit: Was werden sonst die machen, die sich waschen über den Tod, wenn tode Leute nicht wieder auferstehen? Warum waschen sie sich über den Tod? vel (in quo solus numerus Grammaticus variat) was wollen die sonst machen, die sich über den Tod baden, wenn ein Toder nicht wieder auferstehet? Warum baden sie sich auch über den Tod? Jam vero ab initio additur articulus: ut & in fine omittitur. Fit hoc, quia non de quibusvis mortuis, nec omnibus simul loquitur Apostolus in primis & ultimis verbis, nec de mortuis simpliciter. Loquitur nimirum de mortuis iis, quos tetigerint: & sub ea conditione, si tetigerint. Non enim, qui lavabantur super mortuis, lavabantur super omnibus mortuis, sed super iis tantum, quos tangebant, & per quos immundi facti erant. Et præterea, si quidam mortuus in propinquo loco fuit, non lavabantur, nisi tetigissent ipsi, aut in ea essent distantia aut conditione, ut per eundem redderetur quis immundus. Satisfecimus, ni fallor, in nostra sententia vel maxime Articulo sive addito sive omisso ab Apostolo. Ut tamen res fiat adhuc manifestior, illustremus ab opposito, videamusque, bonus vel malusve sensus esset, si Paulus ubique Articulum posuisset,

hoc modo; τί ποιήσωσι οἱ βαπτίζομενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, εἰ ὅπως οἱ νεκροὶ ἐκ ἐγείρονται; τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; Qualitercunque forte hic stylus excusari posset, si res aliunde satis clara foret: Sed an doctis probandus appariturus esset, non parum dubito, si modo idem, quem supra habimus, sensus esse deberet. Nam profecto videretur Apostolus potius de iisdem plane mortuis loqui, adeoque sermo esset ubique de mortuis sine conditione in univcrsum: qua ratione falsissimum esset, eos, qui baptizantur super mortuis, baptizari sine discrimine & conditione super omnibus, sicut mortui sine discrimine & conditione resurgunt omnes. Aut ubique sermo esset de iis certis, qui tanguntur, & super quibus tangentes baptizantur: quomodo Apostolus non satis disputaret ad rem; siquidem in genere de mortuis disputabatur. Ubi probato, istos resurgere, nondum sufficienter probatum esse, quod mortui in communi & simpliciter resurgerent, sed demonstranda esset paritas. Absurde: inquis. Certe, inquam absurde: sed tamen absurditatem istam necessitate ex perversitate hominum, imponente. Nam notum est, quod etiam Judæi particularem tantum resurrectionem statuunt.

§. XXXVI.

At particula præpositionalis ὑπὲρ facesset negotium forte. Pontificii ex Bellarmino, aliisque urgebunt suum *pro*: absurdum esse, dicere, baptismum istum Ceremonialem susceptum esse *pro mortuis*: nostram itaque interpretationem a proprietate textus longissime recedere. Urgeant vero, clament, querantur: quid ad nos? contra quem, inquam, textum peccatur? Apostoli? nego. Ubinam ille Latine locutus,

tus, ut habeat, pro mortuis? At vulgatus interpres, ab ipso sanctissimo Papa toties authenticus factus ita habet. Non ignoro: ego vero vestrum interpretem hac in parte non moror, & istum sanctissimum Papam multo minus. Illis acclamate istos clamores, qui talibus terrentur. Paulus habet ὑπὲρ: ὑπὲρ τῶν νεκρῶν. Id reddiderunt prudentiores doctioresque interpretes per *super*. Sed videtur etiam hoc non congruere nostræ expositioni. Dabimus itaque operam, si non disconvenire demonstrare queamus, simulque annecti possit, quæ rei hujus sit ratio. Admonitione ante omnia, non tamen proluxa, opus erit, quod in Veteri Testamento phrasis hæc suam habeat fundamentum: quare ex eo oriunda non tam rigorose juxta Græcismum judicanda sit. Monemus id propterea, ut, si cui visum fuerit, non sapere eum Græcismum, non tamen statim rejiciat aut damnet. Quanquam speramus, non esse contra naturam præpositionis Græcæ, etiamsi juxta usum, qui apud Græcos Autores observatur, judicium instituat. Hebræus stylus V. T. quando istum actum, quo quis immundus reddebatur, significat, utitur mediatione præpositionis ב Beth, quæ in primis per In vertitur Levit. V, 3. Aut si tetigerit quis in immunditatem hominis, quod omnem immunditatem ejus, כח וטמא תון in qua immundus fiet. LXX. interpp. ἢ ἐὰν ἀψυχεῖσθε μωσθὴν quam tangens immundus sit. Psalm CVI, 39. וטמאו במעשיהו vajjstmen ha maase ham & immundi facti sunt in operibus suis, vel per opera sua. Confer Levit. XI, 46. XII, 13. Zach. XX, 43. XXIII, 3. Aliquando intervenit etiam particula ל Lamed, Ezech. XX, 31. גלרליכם אתם נטמאים לכל Attham nitmetham le chol gillule cham, Vos immundi facti estis per omnia idola

idola vestra: nisi interpretari velis ita, ut hoc passivum non tam actum, quam statum significet q. d. Vos facti estis tales, qui immundi sitis super omnibus idolis vestris. Conf. Num. VI, 7. Quando vero statum, ut jam inuimus, in quo quis immundus est, indicatur, mediat particula ל *Lamed.* ex. gr. Numer. IX, 6. 7. *factum est, ut essent quidam, qui fuerunt* לנפש אדם טמאים *immundi super anima hominis (i. e. mortuo) & non potuerunt facere Pasachin die isto, & appropinquarunt coram Mose, & coram Aharoue in die isto. Et dixerunt viri isti ad illum: Nos sumus* לנפש אדם טמאים *immundi super anima hominis* 2 Chron. XXIII, 19. *Et constituit (Jehoiada) Janitores juxta januas domus Jehove, ut non ingrederetur לכל רבר טמא immundus super quacunque re.* Septuaginta interpretes discrimen istud plerumque etiam obseruarunt, ut quando actus, quo quis immundus reddebatur, indicandus esset, præpositione ἐν uterentur; statum autem per præpositionem ἐπι exprimerent, sic eos, quorum immundities, per contactum mortuorum contracta, aut tali ratione, qua aliquis a mortuo immundus redditur, non desierat, vocant ἀναθέρως ἐπι ψυχῆ ἀνθρώπου v. 6. & v. 7. ἐπι ψυχῆν, ut habet editio Vatabli, cum Accusativo. Hanc autem præpositionem ἐπι Interpretes Latini reddunt per *super.* Unde locum citatum, *Vulgatus, Vatablus, Tremellius,* verterunt; *immundi super anima hominis.* *Lutherus* quoque noster; *Da waren etliche Männer unrein über einen toden Menschen* v. 6. & v. 7. *Wir sind unrein über einen toden Menschen.* Hoc notato, jam ulterius progredientes dicimus, nemini obscurum esse, quod præpositio ὑπὲρ cum Genitivo conveniat cum ista præpositione ἐπι; ut existimem, quenquam

nega-

negaturum non esse, quin similiter non contra naturam præpositionis ὑπὲρ dicturus sim, ἦσαν ἀνάθαρτοι ὑπὲρ ψυχῆς ἀνθρώπων: ἡμεῖς ἀνάθαρτοι ὑπὲρ ψυχῆς ἀνθρώπων. Quid enim notat, quæso, τὸ ἐπὶ, in ista phrasi? Nonne causam, per quam homines isti in statum immunditiei conjecti sunt? q. d. Erant quidem homines immundi, quorum immundities ipsis accidit per animam hominis, vel per mortuum aliquem, vel, qui immundi erant in statu immundorum propter mortuum. Atque eandem vim habet præpositio ὑπὲρ. Nam Paulus dicit 1 Cor. X, 30. τὸ βλασφημεῖμαι ὑπὲρ τῆ ἐγὼ εὐχαριστῶ; *quare blasphemor super eo, super quo gratias ago?* Ubi omnino præpositio ὑπὲρ causam notat vel occasionem, per quam fiat, ut aliquis blasphemetur. Atque hæc ratio, quare etiam in simili re cum eodem verbo præpositiones, inter se permutantur. Apostolus, 2 Cor. XII, 5, dicit, ὑπὲρ τῆ τοιαύτη καυχῆσομαι, super hocce gloriabor. At Rom. V, 2, ait; καυχώμεθα ἐπ' ἐλπίδι τῆς δόξης τῆ θεῶ, *gloriamur super spe glorie Dei.* Quæ jam vero ratio locutionis, *immundum esse super mortuo*, vel etiam, ut superius circa actum annotatum, *immundum fieri super mortuo*: eadem omnino videtur esse τῆ baptizari *super mortuo*, ut cum istud dicatur, hoc utique docere etiam liceat. Inprimis, cum causa quoque baptismi indicetur & ratio apponatur, propter quam sese quis baptizet. At, inquis, si Apostolus hoc voluisset, locutus fuisset cum LXX. Interpretibus, quibuscum alias loqui assolet. Certum vero, inquam, hoc non est: neque enim semper Apostolus cum istis locutus est, inprimis quoad phrasæologiam, & quando non integros citat textus. Sit nobis exemplo istud nomen βαπτισμῆ, quo usus est

Hebr. IX, 10. cum tamen LXX. antaverint vocabulum *λέγειν lavare*, in sua versione. In nostro loco ipso quoque utitur verbo βαπτίζεσθαι, baptizari. Et quis Apostolum Domini ita circumscribit, ut necesse fuerit ipsi loqui cum viris a Spiritu S. non inspiratis immediate? Addendum & hoc est, quod Apostolus immunditiam quoque super mortuis contractam simul includat. Neque enim de solo βαπτισμῷ præcise loquitur; sed sub eo tanquam ultimo actu atque ritu Levitico includit, quicquid præcessit. Ut non immerito dixeris, hunc sensum esse: quid facient ii, qui super mortuis, ut quondam sub veteri Testamento, ita adhuc hodie, servatis istis ritibus, sese patiuntur pro immundis censerī, certos ritus & consuetudines onerosas subeunt, & tandem sese lavant: Si utique mortui non resurgunt? unum superest hic paucis subnectendum, quare nimirum Apostolus utatur particula *καί*, & in ultimis verbis versus, cum ait *καί καί*, ut quod etiam baptizantur super mortuis? hæc copulativa particula utique ad aliquid aliud respectum habet. Ubi existimo, melius hoc dici, quod respiciatur honestus sepeliendi modus, quam quod particula argumenta connectat, hoc in casu potius ab initio versus ponenda. Sensus hic videtur esse, si mortui non resurgunt, non dicam, quare tum sollicite eos sepeliant: sed hoc, quod insuper tam religiosi sint, ut immunditiam se quodammodo contrahere putent, & propterea laventur.

§. XXXVII.

De phrasi hætenus egimus: de modo Apostolico argumentandi subjungere nonnulla necesse est,

de quo forte non minor, quam de verbis difficultas nonnullis oborietur. Quid vero, inquit aliquis, baptismus ille super mortuis ad disputationem Apostoli? aut qualis hæc est argumentatio? Quidam baptizati sunt super mortuis. Judæi super mortuis immundi redditi sunt, & ea de causa lavarunt se, Ergo mortui resurgunt. Et contra: si mortui non resurgunt, ii, qui existimant, se non immerito istis ritibus uti posse, frustra sunt; frustra est, quod admittunt immunditiem & baptizandi se super mortuis consuetudinem. Hic respondemus, ritus Veteris Testamenti suas habuisse rationes, nec Leviticæ ceremonias sine gravibus causis esse impositas Ecclesiæ Dei. Physicas causas conquirere vel semper, vel tantum, vanum est, nec ipsi scripturæ conveniens. Si consideremus, quod in manibus habemus, ita comparatum invenimus, ut juxta Physicam partim res ridicula, partim noxia. Ridicula; si putes baptismum super mortuis propterea institutum, ut, si quid malignitatis Physicæ acceptum a corpore maligno morbo infecto, levi aquæ superinfusione mox deponeretur. Noxia; quod omnes, quotquot in domo, ubi defunctus mortuus fuerat, essent, in sordibus confidentes includebantur, ut vix libero aëris haustu gaudere possent. Neque tamen si contagio vitando dicas præscriptum, satis eidem cautum erat. Nam homo mundus ædes infectas ingredi cogebatur, ut expiaret domum & eos, qui in domo erant: proptereaque non ultra septem dies inclusi manebant. Quare de causis Physicis non sufficit saltem hic, cogitare aut sollicitum esse. Quod si ergo cogitaveris & inquisiveris in causam aliquam Theologicam: in gene-

re quidem responderi possit, factum istud ceremoniale propterea institutum, ut sanctitatis spiritualis, imprimis sub Novo Testam. admonerentur, qui utebantur ceremonia. Non enim istud negabimus. Verum enim vero interim rei toti non satisfactum est, instituebantur quidem enim talia, sed cum aliquo fundamento, quarendum itaque est, quo fundamento Moses populo Israelitico aliquam hic immunditiam ex mortuis contractam adscripserit? ego quidem certe hic vel nullam vel meliorem non invenio causam, quam quod istud factum sit propterea, quia nonnunquam mortui minus honeste a viventibus tractantur. Sunt homines, & inter gentiles imprimis erant, qui indigne cum corporibus defunctorum egerunt, quasi, ut scriptura loquitur, fimus essent aut stercus platearum, nec referret, quicquid etiam in ea designaretur. Nimirum resurrectionem mortuorum nullam crediderunt: qua negata, quid corpora mortuorum aliud sunt quam fimus aut putrida terra? Talia Deus in populo suo quondam pati non voluit: & ut ab iisdem avocaret eos, imposuit legem de immunditie super mortuis & baptismo super iisdem. Onerosum istud non parum erat, ut certe non tam facile vel tangeret mortuum quisquam, nisi aut pietate aut honestate urgente. Et si hæ causæ urgerent, ut mortui non desererentur, mandatum erat, ut honestissime tractarent atque sepelirent. Unicum fundamentum est resurrectio mortuorum, per quam maximum discrimen est, inter communem terram & inter corpus hominis mortui. Ut ut namque in cineres quoque redactum fuerit corpus, hominis tamen sunt etiam isti cineres. Quisquis indigna

digna vel in corporibus, vel in cineribus mortuorum perpetrat, non sine peccato facit, & nisi pœnitentiam egerit, ipsi cineres adversus eum clamabant, ut contra Cainum sanguis Habelis adhuc loquitur, teste Apostolo. Quia itaque resurrectio mortuorum certe futura est, immundi fiebant, quicumque tangebant mortuos, & si quid aliud, atque baptizabantur super illis, ut ritu isto profiterentur, se propter resurrectionem mortuorum credere omnino, immundos peccato gravissimo reddi, quicumque minus pie & honeste mortuos tractarent, & ablutione a peccato opus habere; se quidem testari, non tetigisse mortuos ex animi levitate, sed casu, aut necessitate quadam: & si per errorem aliquid factum, quod fieri non debuisset, a Deo humiliter petere, ut, quemadmodum ipsi corpus abluerent, sic Deus propter Messiam unicum mediatorem, ipsorum animam & corpus ab omni purificaret. Atque, inquis, per cadavera bestiarum immundi reddebantur quondam Judæi & abluere sese aqua cogebantur. Ita est, inquam: sed num istud propter bestias factum est & non potius propter homines? Deus solet legibus suis spes facere, ut Hebræi vocant, hoc est, præcavere solet peccata & peccatorum occasiones. Videmus, quod qui in bestias crudeles fiunt, etiam in homines crudeles esse discant. Ut itaque eo minus Judæi circa corpora hominum mortuorum peccarent, extendit Deus legem suam, ut in cadaveribus quoque bestiarum immundi fierent. Itaque cum istud non nisi propter homines factum sit, adeo inde non consequitur, quod etiam bestię resurrecturæ sint, ut potius hoc verum sit, solos homines mortuos resurrecturos esse.

esse. Habemus itaque nervum argumenti Paulini. At ista, inquis, probabiliter disputantur: interim, unde constat, quod baptismus super mortuos propter resurrectionem mortuorum institutus fuerit? ex scripturis demonstratur. Sufficit, inquam, quod tam bonæ rationes sententiæ hujus indicatæ sunt. Sepe-
 limus mortuos, propter spem resurrectionis. Quis Christianus dubitat? Atqui baptismus super mortuis, ut supra monuimus, includit alia quoque antecedentia, atque conjuncta, inter quæ voluimus ipsam quoque sepulturam numerari. Prorsus ergo quemadmodum consentimus in hoc, quod sepultura propter resurrectionem fuit, sic consentiendum erit in hoc, quod baptismus super mortuis propter eandem institutus fuerit. Idemque erit argumentum, siue dixeris, quid facient ii, qui sepeliunt mortuos, si mortui non resurgunt? ut quid sepeliunt eos? siue cum Apostolo dixeris: quid facient ii, qui baptizantur super mortuis &c. si ibi non licuerit quærere; num vero sepeliuntur mortui propter resurrectionem mortuorum? probetur ex scripturis &c. Nec de baptismo super mortuis liceat. Sed si tamen rigorose urges scripturam: do tibi ipsum huc locum Apostolicum, dicoque ipsum Apostolum, hic esse nobis Veteris Testamenti interpretem, ut sæpe alias. Agnoscamus itaque cum verba tam egregie, ut nos demonstrasse speramus, cum re Veteris Testamenti ipsisque verbis consentiant, quod Apostolus nos docere voluerit, de resurrectione mortuorum legislatorem per ritum monere voluisse. q. d. Apostolus: moneo vos baptismi in Veteri Testamento instituti super mortuis: nonne institutus est propter resurrectionem mortuorum? Ne-

gare non poteritis, si recte consideraveritis; imò mihi saltem credite, quod sic se res habeat. Quid facient ergo, qui juxta istum ritum baptizantur super mortuis, si mortui non resurgunt? &c.

§. XXXVIII.

At hoc, inquit forte tandem aliquis, non erit validum argumentum contra Corinthios, qui istum non observarunt unquam; quid si dixissent Apostolo, Judæos & quotquot ex Judæis istum ritum observassent, stultum esse? si aliquid piæ sobrietatis adhuc in Corinthiis superfuit, non potuerunt ita præcipitare suum judicium atque responsionem, ut stultitiæ condemnarent tam multos Christianos fidei suæ socios. Apostolus cum dicat, *οἱ βαπτίζοντες, βαπτίζονται*, in præsentem tempore, non loquebatur tantum de Judæis non conversis, sed & conversis, qui sine dubio ritum istum observabant cum iis, aut etiam inter eos, de quibus S. Jacobus Art. 21. ad Paulum dixit: *Vides, frater, quot myriades sint Judæorum, crediderunt, & omnes Zelotæ legis sunt.* Imo hos tantum non unice intelligit Apostolus, q. d. quid faciunt ii ex nobis, qui baptizantur, &c: quod si mox satis putavit Apostolus, si apud Corinthios argumentum sumeret a se aliisque Christianis v. 30. 31. 32. quare non hic quoque? Sed accedit in baptismo super mortuis, quod Apostolus non tantum argumentatur ab auctoritate Christianorum, sed ipsius simul scripturæ. Deus ipse est, qui hunc ritum eo fine, ut moneret resurrectionis mortuorum, & hac de causa, quia resurrectio mortuorum certo futura est, instituit, hujus auctoritas a multo hominum spernenda aut rejicienda est,

hujus

hujus autoritate nit
 vult dicere *quid fac*
si mortui non resurgu
mortuis, præterquan
 giose ab iis abstinere
 dis tangentes, non
 credunt, quod mo
 vel isti omnes ritus
 est. Atqui isti ri
 quippe qui exercen
 Christianis; & quo
 instituti sunt, dicto
 cum ita se habeat u
 ritoque, quod res
 sit. Considerandum
 & judicandum relin
 dari potuerit ab Ap
 norum multorum,
 Jacobo loquar, co
 ptura Veteris Test
 λόγον suo tempore n
 est, desumptum? an
 etenus tractati inter
 Nos jam subsistim
 quod expectamus,
 uni & soli, Patri,
 agimus maximas.



ate nititur argumentum Apostoli. Hoc
quid facient, qui baptizantur super mortuis,
resurgunt: ut quid baptizantur etiam super
 terquam quod sepeliunt, quod tam reli-
 abstinent, ut etiam censeant pro immun-
 s, non alia de causa, quam quia sciunt &
 od mortui resurrecturi sint? Certe iste,
 es ritus frustra erunt, si resurrectio nulla
 i isti ritus non frustra sunt, non vani;
 exercentur a tam multis bonis & piis
 & quod omnium maximum a Deo ipso
 t, dicto fine, & dicta de causa. Quod
 abeat utique negari non poterit jure me-
 uod resurrectio mortuorum certe futura
 erandum itaque Tibi, benevole Lector,
 um relinquimus, an gravius argumentum
 t ab Apostolo, quam hoc, ex Christia-
 torum, imo myriadum, ut cum sancto
 uar, consuetudine pia, & imprimis scri-
 ris Testamenti, quam Petrus βαβαίότερον
 mpore nominare, in Spiritu Sancto ausus
 um? an melius ulla loci Apostolici ha-
 ati interpretatio atque firmiter suppeditet?
 ubsistimus, & in sobrio sanoque Tuo,
 tamus, judicio acquiescimus: Deo vero
 Patri, Filio, Spirituique Sancto gratias
 aximas, si precium operæ præstitimus!

A M E N.

